



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Decas Selectarum Quæstionum

Vogel, Gerhard Georg Wilhelm

Ingolstadii, 1728

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62148](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62148)

7
89

Al. III
3

Th. 4779.





DECAS SELECTARUM QUÆSTIONUM

QUAM
UNA CUM PARERGIS, EX JURE PUBLICO, ECCLESIASTICO, CIVILI,
FEUDALI ET CRIMINALI DEPRŒMPTIS

DIVINA ANNUENTE GRATIA
SUB CLEMENTISSIMIS AUSPICIIS

SERENISSIMI AC EMINENTISSIMI PRINCIPIS
AC DOMINI, DOMINI

CLEMENTIS AUGUSTI

ARCHI-EPISCOPI COLONIENSIS, SEDIS
Apostolicæ Legati Nati, S. R. I. per Italiam Archi-Cancellarii &
Electoris, Episcopi Paderbornensis, Hildesienſis ac Monasterienſis,
Utriusque Baviaræ, Palatinatûs Superioris, Westphaliæ Angariæ &c. Ducis, Comitis
Palatini ad Rhenum, Landgravii Leichtenbergensis, Burgravii Strombergensis,
Comitis Pyrmontani, Domini in Borckeloh & Werth. &c. &c.

PRINCIPIS AC DOMINI CLEMENTISSIMI

Collegii S. J. Consensu & Auctoritate Paderbornæ 1742.

AMPLISSIMÆ FACULTATIS JURIDICÆ

In Alma, Catholica, Electorali & florentissima Universitate Ingolstadiana
Publicæ Disputationi proposuit

PRÆNOBILIS ET CLARISSIMUS

GERHARDUS, GEORGIUS, WILHELMUS
VOGELIUS

PADERBORNA-WESTPHALUS, JURIUM LICENTIATUS

Et supremæ ex iisdem Laureæ Candidatus

AUCTOR ET RESPONDENS

In Majori Auditorio Juristarum

Ad 12. Mensis Julii MDCCXXVIII. Horis ante - & pomerid. Consuetis

INGOLSTADII Typis Viduæ Grassianæ

DECAS SELECTARUM
QUESTIONUM

UNA COM PARIBUS EX THEOLOGICO ROYAL INSTITUTIONE
PUBLICE ET CLAUSTRALITER DEPOSITIS
DIVINA ANNUNTIATE GRATIA
SVM CLAUSTRALIBUS APOSTOLIS
SERENISSIMO A. THOMAS AUSTRIACI PRINCIPIS
AC DO. VINC. DOMINI

CLEMENS
AUGUSTI

ACTI-BUS OMNIBUS CONVENTUS SEDIS
apostolicae sedis, S. S. I. de latina Arch. Cardinali &
S. S. I. de latina Arch. Cardinali &
S. S. I. de latina Arch. Cardinali &
S. S. I. de latina Arch. Cardinali &
S. S. I. de latina Arch. Cardinali &

Collegii S. S. I.
Universitatis Paderbornensis 1775

GERHARDUS GEORGIUS WILHELMUS
VIGELIUS
PADERBONA WESTPHALIAE RECTOR SCHOLAE
AUCTOR ET RECTOR
PADERBONA

SERENISSIMO AC EMINENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO

CLEMENTI
AUGUSTO

ARCHI EPISCOPO COLONIENSI
SEDIS APOSTOLICÆ
LEGATO NATO

S. R. I. per Italiam

ARCHI-CANCELLARIO
ET ELECTORI

DIOECESIVM PADERBORNENSIS,
HILDESIENSIS AC MONASTERIENSIS
EPISCOPO

UTRIUSQUE BAVARIÆ, PALATINUS SUPERIORIS,
WESTPHALIÆ ANGARIÆ &c.

DUCI

COMITI PALATINO ad Rhenum, LAND-
GRAVIO LEICHTENBERGENSI, BURGGRAVIO
STROMBERGENSI, COMITI PYRMOTANO

DOMINO

IN BORCKELOH & WERTH &c. &c.

PRINCIPI AC DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO.

Theses haece ut devotissimi animi submississimum Homagium
D. D. D,

Defendens,

APPROBATIO FACULTATIS THEOLOGICÆ.

LEgi præsentem Quæstionum ex Jure tam Pontificio quam Cæsareo selectarum Decadem, nihilque in ea inveni, quod vel Orthodoxæ Fidei vel Bonorum Morum Regulis adversetur; sed potiùs adverti singularem Prænob. D. Auctoris curam, in sententiis inter Ecclesiasticos & Civiles Juris Consultos controversis primas semper deferendi Romanæ Curix placitis; Ita tamen, ut unà simul exactè studeat observare, quod Evangelium *Matth. 22. v. 21.* docet, nimirum: *Reddite ergo, quæ sunt Cæsaris, Cæsari, quæ sunt DEI, DEO.* Adhæc propositas scitu dignissimas Materias eâ claritate ac soliditate pertractat, ut nec in Veterani Professoris opere copiosiore eruditionem, elegantiore methodum, aut majorem in discernendis & æstimandis partium disputantium fundamentis perspicaciam facilè sit reperire; adeo ut hanc Lucubrationem à tam Juvene Jurisprudentiæ Candidato elaborari potuisse vix crederetur, nisi rara Ejus Virtus, notaque Ingenii sui Præstantia ac vasta Capacitas, juncta cum assidua meliorum, quot quot nancisci potest, Auctorum lectione & indefessa in studiorum exercitationibus diligentia, omnem dubitandi locum præriperent. Dignissimæ proin sunt istæ Primitiæ, quæ Serenissimo ac Eminentissimo sanctioris Themidos Antistiti offerantur, & hoc Clementissimo Protectore ita publici juris fiant, ut & ad perpetuum Prænob. D. Auctoris simul ac defendentis Decus ac ornamentum cedant, & cæteri insuetò hoc ejus exemplò animati Jurium Candidati felicibus ausis *meliora carismata emulari* deinceps non vereantur.

Ita censet.

CLAUDIUS GUELAT S. J. SS. Theologie
Doctor, ac Professor Ordinarius. Sacre Fac-
cultatis Decanus.

APPROBATIO FACULTATIS JURIDICÆ.

Cum inclyta Facultas Juridica Prænobili Domino hujus præsentis Decadis Authori ad preces ejus gratiam ac potestatem dederit, ut solus & sine Præsidente Quæstiones in hac Decade contentas, atque omni ex jure maximò labore à se depromptas, ac insigni dexteritate elaboratas publicè propugnare queat; dignissimæ proin judicandæ sunt, ut tam ad majorem laudem & promotionem ad altiora Prænobilis Domini Auctoris sui ac Defendentis, quàm ad demonstrandum egregium, quem in utroque jure hausit, profectum, præsentis Quæstiones, utpote disputabiles, unà cum Parergis in typum dentur.

Ita censeo

JOANNES FRANCISCUS de HAIBE, J. U. D.
Sereniss. Elect. Bav. Consiliarius, Inst.
Imperial. Professor Ordinarius ac p. t. fa-
cultatis Juridicæ Decanus.

PRÆFATIO.

Verissimè ait celeberrimus quondam Dilingæ ac Salisburgi Professor, & subtili non minùs, quàm copiosâ legum peritiâ de orbe literario meritissimus D. Bernardus GLETLE *in enucleata præfatione ad Jurisprudentiam suam fundamentalem*: si ullam aliam, certè disciplinam Juris, infelici fato regi; eoquòd alii, qui ingenio valent & copiosâ juris notitiâ pollent, aut planè nihil luce publicâ donent, aut quandoque nimiâ ducti præsumptione oleum & operam malè in edendis libris collocent; Alii econtra, qui sufficienti legum peritiâ destituti sunt, nescio quâ intemperie ad scribendum abrepti festinatis votis id dant sæculo, quod pudorem suis mox excutiat Aucthoribus; Qui dum sententias ad lucernam non examinant, dum ordine sua non digerunt, sed temerè chartis illiniunt, & calore præpropèro effundunt, futilia non utilia, ex alieno sine fronte sublecta non electa, libellosque Thuris piperisque cucullis aptos ac æternis dignos tenebris obscuro partu in lucem protrudunt.

Horum ex numero non absque fundamento me esse judicaverit Benevolus Lector. qui eò prolapsus fuerim audaciæ, ut inter eruditissimos hujus ævi scriptores & meum addere symbolum velim conatu saltem præsumptosò, si non temerariò, quippe qui primis elementis juris nimiùm leviter adhuc tinctus sim, ad tyrocinia Themidis ablegandus. Æquissimæ huic censuræ totus acquiesco, sed simul temeritati meæ aliquam prætendo veniam, & moneo, non tam meò id factum fuisse consiliò, quàm aliorum præceptò; qui diligentia à me juridico studio impensæ, haustique in celeberrimo hoc Themidis Athenæo profectûs specimen lutulentius edi & desiderabant & jubebant. Quare te Benevole Lector deprecaturus accedo, ut hanc Quæstionum Decadem, diligentia primitias & laboris mei decimas æquiori oculò dignari, sphalmata mihi mea (quorum plura fortassis invenies) benignus indulgere tuâque benevolâ seu interpretatione seu excusatione, quâ licet, emendare digneris; & ubi illas cum fructu à me collectas esse reperis, persuasus esto, suò olim tempore aliis me lucubrationibus, (annuente votis Cælò) tuæ orexi satisfacturum esse; si verò, quod certè erit, inutilem in illis operam locatam fuisse judicaveris, veniam saltem pro laude spero, meque totum contentum esse credito, ubi id, quod Poëta Phaëtonti Solis currum non sibi filio juveni, sed Patri seni debitum, animosius quam feliciter regenti accinuit, mihi acclames:

Quem si non tenuit: magnis tamen excidit ausis
Vale &, quod rogo, fave.

QUÆ.



QUÆSTIO I.

An præter Crimina in Bulla Gregoriana excepta inspecto jure Communi dentur adhuc alia, quæ privent Immunitate Ecclesiastica locali? redacta in Quæstionem, an fur gaudeat Immunitate Ecclesiæ in qua deprehenditur?

S U M M A R I A.

I. ad 6. Jus asyli esse juris antiquissimi ostenditur ex Tacito Livio &c. 6. 7. 8. quâ ratione Bulla Gregorii: cum aliàs: emanarit? 9. ad 14. Ex ea, tria potissimum dubia remanserunt, quorum tertium est proposita Quæstio. 14. ad 20. referuntur varia Crimina, quæ à variis asylo excluduntur. 20. 21. proponitur controversia: an eo fur gaudeat? & ejus f. species. 22. negant id quidam 23. ad 32. quorum rationes attextuntur 32. contraria eligitur. 33. 34. 35. quæ eruitur tripliciter ex cit. Bulla Gregorii S. P. 36. ex cap. inter alia de Imm. 37. 38. Dicta Bulla est pœnalis ergo nequit extendi. 39. Referuntur hujus sententiæ Patroni. 41. 42. 43. Ad primum argum. triplex responsio datur. 44. 45. 46. Satisfit tribus object. 47. 48. per hanc sententiam fures non invitantur ad furandum in Ecclesiis. 49. ad 54. Filius nequit ex heredari ob causas æquè graves. 56. 57. 58. Immunitas non est odiosa nec vegrat in præjudicium boni publici. 58. 60. Novissimum Concilium Romanum non patrocinauit adversæ sententiæ. 61. & licet hoc faceret; tamen nihil evinceret. 26. ad 67. Quia fuit tantum provinciale non generale. 67. 68. 69. & licet generale fuerit, quia non est promulgatum.

Jus asyli, seu immunitatem Ecclesiasticam localem esse juris antiquissimi neminem latet, qui vel prima solum sacræ aut profanæ Historiæ elementa obiter libavit; & quidem sacræ quemlibet docent paginæ templum Hyerosolymitanum delinquentibus asylum præbuisse, *Exod. cap. 21. constitutam tibi locum, in quem fugere debeas*: item sex Civitates in Homicidarum, & fugitivorum p̄rfugium constitutas esse legitur *Num. cap. 35, &c.*

A

Pro-

2 Profana autem Historia innumeris in locis nos instruit, Asylum apud plerisque gentes, quæ solummodò quemdam aris & templis Honorem tribuere, receptum & summo honore excultum fuisse, etenim constat Asylum jam apud Thebas à Cadmo conditum esse, cujus exemplo Romulum Romanæ Monarchiæ protoplastum suo id templo concessisse perhibet Tit. Livius *Histor. Rom. l. 1. de quo Poëta l. 3. fast.*

Romulus, ut saxo lucum circumdedit alto. Quilibet hunc inquit confuge, tutus eris:

3 Atheniense delubrum (de quo Apostolus *act. cap. 7. n. 23. præteriens, & videns simulacra vestra inveni, & aram in qua scriptum erat Ignoto DEO*) commune delinquentibus erat refugium, & misericordiæ vestibulum.

4 E Dianæ Ephesiæ templo neminem horrendi, utut criminis damnatum vi extrahi potuisse testatur in Verrem declamans Cicero.

5 Tacitum si volvas, sparsim, & præcipuè in *l. 3. annalium suorum c. 60. & seqq.* deprehendes, per universam Græciam Asylorum morem tanta cum Religione viguisse, ut etiam in iis seditionum Authores adversus sæculare imperium recepti fuerint à populo *flagitia hominum* (in templis) *ut Cereemonias DEUM protegente.* Invenies ibidem Bacchum Regem Amazonum devictorem illis pepercisse, *quæ aram infederant.* Invenies apud Magnates populos Antiochi & Mithridatis Triumphatores, *Dianæ Leucophrinæ* perfugium inviolabile fuisse: invenies denique apud Hierocæsarienses *Persicæ Dianæ delubri Rege Cyro dicati* non modò templo, sed *duobus etiam millibus passuum* sanctitatem fuisse tributam, & alios plures populos jus Asyli indefesso Zelo tanta cum copia defendisse, ut Patres iisdem audiendis à Tiberio determinati eorum multitudine fessi fuerint.

6 Et hanc immunitatem, Palatiis statuis & imaginibus Principum Ethnicorum postmodum concessam fuisse constat ex *tot. tit. Cod. de his, qui ad stat. Princ. Confug.* vid. *ibid. Wisenbach. Perez. Brunem. & alii;* aded ut etiam per Tiberium læsæ Majestatis reus quisdam judicatus fuerit, qui servum verberaverat portantem solummodò Drachmam Argenteam Tiberii imagine signatam, uti refert Tacitus; atque laudabili hoc in servando templis honore Ethnicarum gentium Zelo accensa Choristricularum Ecclesia suis pariter templis immunitatis amplissima privilegia tribuit, variis Conciliis, & SS. Pontificum Decretis roborata (uti perhibent, *Can. eos, qui. Dist. 17. Can. 17. q. 4. Can. 5. 7. 8. 9. 16. cap. 6. 9. & fin. de Immun. Eccl.*) & jure insuper Civili religiosissimè confirmata *t. t. Cod. de his qui ad Eccl. confug.*

7 Nè tamen Crimina sine distinctione enormitatis forent impunita, quædam ab hoc beneficio per SS. Pontifices fuerunt exclusa; & eorum solummodò tria, quæ in *Can. 17. Q. 4. cap. inter alia, & fin. de Imm.* recensentur, scilicet: Latrocinium publicum: nocturna agrorum depopulatio, & homicidium in Ecclesia vel Cæmeterio commissum.

8 Quæ jura cum successu temporis in variis locis, aut non observarentur, aut contra ea innumera à SS. Pontificibus data fuerint indulta; aded ut eorundem privilegiorum laxâ nimis interpretatione Ecclesiastica jura (verba sunt

S. Pro-

S. Pontificis Gregorii in citanda Bulla.) planè conculcarentur, & negligerentur, in Immunitatis Ecclesiastica præjudicium, locorum & personarum divino cultui dicatarum contemptum, ipsius divinæ Majestatis offensam, & scandalum plurimorum dictus S. Pontifex ad hunc abusum tollendum, & tamen simul ad incutiendum aliquem flagitiosis terrorem ann. 1591. 28. May. Bullam condidit famigeratissimam, quæ incipit *cum aliàs* cujus tenorem videre licet apud P. Wiestner in elimatissima lucubratione *de jure asyli p. 1. art. 2.* & Claris, P. Pichler *ad tit. de immunit. Eccles.* vigore cujus omnia privilegia præsertim per Sixtum & Pium V. PP. quibusdam potentiis ad extrahendos ex Ecclesiis sceleratos concessa crimina revocantur, &, ab Immunitate exclusâ ad 8. capita reducuntur, quæ videre licet in omnibus SS. Canonum interpretibus *ad cit. tit.*

Et hæc saluberrima Gregorii Pontificis constitutio, etsi, ut ex textu colligimus, sollicitissimè studuerit lites omnes dirimere, & decidere, quæ circa Immunitatis localis materiam oriri possent, tres tamen potissimum Controversias DD. disceptationi, & crisi reliquit ventilandas. I. est quis dicatur homicida proditorius, an is solummodò, qui sub qualitate amicitie speciali alterum nihil sibi metuentem occidit? An vero is pariter: qui alium etiam inimicum *demptâ justâ rationis defensione* v. g. à tergo: interficit? quæ controversia ante 30. circiter annos in hac Universitate accerrimè disputata fuit, inter Claris. P. Wiestner, & Magnific. D. de Chlingensperg, verè magna hujatis Juridicæ Facultatis lumina, plurimis lucubrationibus orbi literario notissima. Priùs cum communi Canonistarum voluit R. P. Wiestner *ad tit. de Imm. & in cit. tr. de jur. Asyli p. 4. art. 5.* & insuper in speciali, fervente hoc academico, & eruditissimo jurgio editâ dissertatione cui titulus: *Judicium Jurisprud. Canonica super questione &c. ad stipulantibus eidem T. T. ferè omnibus.* vide Claris. P. Pichler *cit. loco n. 17.* & eorum ultra centuriam allegantem Alexand. Sperelli *Decis. 23. & 175.* Posteriùs verò contendit Antagonista Doct. Christoph. de Chlingensperg in edita pariter speciali dissertatione dicta: *Judicium Jurisprud. civilis*, cui assentiuntur Menoch. Gutierrez. Hyppolit. Graftet. & plures ab ipso citati DD. quibus magnum probabilitatis robur expressâ moderni S. Pontificis Benedicti XIII. decisione conciliavit novissimum Concilium Romanum an. 1725. celebratum in appendice ad Tit. 28. cap. 1. pag. mihi 234. per Bullam *de an. 1725.* quæ incipit *ex quo divina disponente Clementia §. 9. ibi: excludimus pariter, repellimus atque privamus ejusdem immunitatis privilegio interficientes proximum suum animo premeditato, ac deliberato.* quâ decisione tamen non obstante altera sententia sine scrupulo rectè adhuc defenditur. Dixi *sine scrupulo* satis enim probabile imò opposito probabilius mihi videtur Concilium hoc Romanum novissimum in nostris partibus non obligare nec disputabilis Eruditorum Doctrinæ limites egredi, id quod in calce hujus meæ Quæstionis puribus demonstrare conabor. Hic autem ostendere juvat fallaci eos inniti fundamento, qui suas eidem sententias nudè superstruunt. Vel enim dictum concilium obligaret ut *Concilium*, vel ut *Lex Pontificia*; vel ut *Declaratio Bullæ Gregorianæ*. Neutrum salvat adversarios, ergo non obligat. Major est evidens, quia nulla alia obligandi potestas ipsi tribui potest. Minor

ostenditur per partes. & quidem primò non obligat ut *Concilium*. cum illud solummodo fuerit provinciale, consequenter non obligans nisi provinciam, in cuius salutem habitum fuit. Clariss. P. Schmalzgrueber in *Decretales edit. 2. Diss. præm. d. 8. in f.* uti inferius in fine *Questionis* fufius demonstrabitur. *neque secundò* obligat ut *Lex Pontificia*. quia hæc ad sui essentiam in actu secundo complendam requirit actualem promulgationem in singulis provinciis & Diæcesibus adinstar LL. Civilium, pro ut probabilior habet Interpret. sententia, mihi satis certa. denique *neque III.* obligat, ut *declaratio Bullæ Gregorianæ*. quod refugium adversariis mirè arridet, sed parvi penditur à litterationibus. Etenim verum quidem est *Authenticam* cuiusdam legis vel Bullæ declarationem aut interpretationem (qualis utique hæc foret, cum illa declaratio dicatur *authentica* quæ vel fit ab ipso Legislatore, ejus successore, aut superiore, Clariss. P. Pichler *ad tit. Decret. de Constit. §. 7. de Interpretatione Legum n. 72.* vel etiam ab aliis à S. Pontifice ad id specialiter delegatis v.g. Cardinalibus Tridentini interpretibus, quorum tamen declarationes contra Commuem CC. suppositis certis requisitis, de quibus consulantur Clariss. P. Ant. Söll. *in tr. de scientia LL. p. 3. cap. 1. §. 2. Dub. 6. n. 470.* P. Wiestner *præm. n. 146.* Barbosa *l. 1. jur. Eccl. c. 4. n. 81.* pro authenticis agnoscere renuunt Sanchez. *l. 8. de Matrim. D. 7. n. 10.* Dian. *p. 1. tr. 10. resol. 19.* Layman. *l. 1. tr. 4. c. 7. n. 26.*) habere vim legis universalis, sed doctrina hæc ruditer adeo sumi non debet, nam omnis declaratio utut authentica, ut eandem cum objecto suo sive lege declarata vim habeat, duo requirit juxta Canonistas. I. ut sit *comprehensiva*, hoc est (juxta sensum Clariss. & Colendis. P. Pichler in *Prolegom. §. 1. n. 46.* & P. Ant. Söll. *cit. tr. §. cit. loc.*) ut sensus declaratus à verborum propria & usu recepta significatione non recedat, idque patet ex ipsa declarationis etymologia, si enim in ea recedatur à Verborum proprietate & amplius quid statuatur, quàm in lege vel Bulla declaranda præceptum fuit, non est *declaratio* sed *extensio* justos declarationis limites excedens, sique fiat ab ipso Legislatore, ejus Successore aut Superiore, induit naturam novæ legis, si verò ab aliis ad id delegatis Patribus fiat Doctrinalis declarationis formam accipit, quæ si non arrideat aliis, sine hæsitatione rejicitur. II. ut etiam authentica declaratio ritè promulgetur; erroneè etiam sibi persuadent aliqui, legis declarationem novà promulgatione non indigere, cum antiqua adhuc moraliter durare videatur; contrarium namque colligitur *ex cap. inter alia. de sentent. excommunicat.* verbis: *unde jus procedit interpretatio quoque procedat.* per quod insinuat, eadem requiri ad declarationem authenticam (de qua agit *cit. cap.*) quæ ad legem ad sed hanc juxta mea principia requiritur debita promulgatio, ergo etiam ad declarationem. *tertium requisitum* addunt Doctores ad declarationes Cardinalium: scilicet, ut fiant consulto prius S. Pontifice: ejus nomine promulgentur. à Cardinale Præfecto & Secretario subscribantur, & consueto congregationis Sigillo roborentur, de quibus fufius videantur citati Clarissimi Authores PP. Wiestner. Pichler. Schmalzgrueber & Söll. *cit. locis.* quod huc non pertinet.

Si nunc igitur Concilium deberet sustineri ut declaratio Bullæ Gregorianæ, deberet esse comprehensivum & ritè promulgatum, in quo utroque puncto

graviter offendit. utque promulgationis neglectum præteream (quæ controversa est illius necessitas) comprehensivum illud nequaquam esse inde evincitur, quod simpliciter & quasi motu proprio statuatur, ut *immunitatis privilegio excludantur, interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato* quod utique plus est: quam ut excludatur homicida proditorius. Dein licet S. Pontifex verbis declaratoriis usus fuisset, hunc v. g. in modum: *declaramus sub homicidii proditorii specie etiam contineri homicidium animo præmeditato ac deliberato commissum*, vehementer adhuc subsisterem, utrum declaratio hæc foret comprehensiva (consequenter authentica) ad comprehensivam enim uti superiùs jam insinuavi, cum Magnif. P. Francisco Schmier *Jurisprud. Canon. Civil. Tom. 1. tr. 1. de Jure Legali cap. 3. Sect. 1. per seqq. §. §.* requirunt unanimiter DD. ut non recedat à propria verborum significatione, ubi etiam n. 31. monet, quod si contingeret, ut non esset *nuda* declaratio sed conjuncta cum aliqua mutatione, diminutione, vel additione (rardè enim accidit ut Legislatores vel eorum Successores tam antè verbis prioribus inhæreant) hæc potius esset simplex interpretatio non authentica aut comprehensiva, tam parùm autem abest, ut taliter declarando non recessisset S. Pontifex à propriâ significatione verbi *proditorii*, ut contrarium potius videatur longè probabilius. Si quis enim è cinere redivivus Tullius Tacitusve à studio partium alienus & solius Veritatis amore impulsus, describere deberet proditorem homicidam propriè & strictè talem (uti fieri deberet in materia hac maximè odiosa, quia Ecclesiastici juris privatoria) certò mihi persuasus essem, quod eum solummodo proditorem dicerent: qui per insidias seu dolum & sub specie amicitia vel nullius existentis, aut præcedentis inimicitia per reconciliationem sublata quemdam nihil sibi metuentem interficit, uti etiam colligitur *arg. Can. 3. dist. 46. l. 4. ff. ad l. jul. maj. L. omne delictum §. exploratores ff. de Re militari, l. 7. Cod. que res export. non deb.* Proditor enim is est, qui unum actum ostendit, aliud mente gerit ut ait Bartol. *in L. perspicendum §. delinquitur ff. de pæn.* cujus mores sunt signa fidelitatis & amicitia: suavia & dulcia verba proferre: exterioremque amicitiam simulare & contrarium in mente gerere; clandestinisque artibus machinari; & quâ alias ratione Joab *proditoria* necis reus inculcabitur, quàm quod Abner Principem Militia Israël simulando amplexum & Amasam Principem exercitus Juda exosculando ac dicendo: *salve mi frater!* utrumque interfecerit? *Reg. 1. 3. cap. 2. vers. 28. & 32.* & sic pariter Judas verè nuncupatur Proditor, quod Magistrum suum, Salvatorem nostrum sub ficta amicitia & devotionis specie eundem neci tradiderit verbis: *ave Rabbi* de quo propheticè Psalmista regius conqueritur. *Psal. 55. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique &c. &c. Tu verò homo unanimes & notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos &c.* Sed manum de Tabula sufficit utramque sententiam suis non destitui Patronis, nec argumentis. pro mea videantur Haunoldus *de J. & J. Tom. 6. tr. 1. n. 219.* Fagnanus *in cap. inter alia de Imm. n. 49.* Pignatelli *Tom. 9. Consult. 5. & 18.* Peregrin. *de Imm. c. 7. n. 7.* Delben. *de Imm. c. 16. dub. 20. sect. 5. n. 1.* Sperell. *Decis. 185. per*

tot. P. Wiestner *ad tit. de Homicid. n. 122. Item in cit. tr. de Jure Asyli p. 4. art. 5. per tot. Item in dicto Judicio Canonica Jurisprud. Illustris. Baro Zeller Tom. 1. Conf. 22. n. 6. & seqq. Claris. P. Schmalzgrueber ad tit. de Imm. §. 5. n. 224. Claris. P. Pichler eo. n. 17. Magnif. P. Francisc. Schmier cit. Jurisprud. Tom. 2. l. 3. tr. 1. de pers. reb. & Jur. Eccl. p. 3. c. 4. n. 35. Pro contraria verò Molin. de J. & J. tr. 3. D. 23. n. 3. Fach. l. 9. controuv. c. 93. Pirrhing. ad Tit. de Imm. n. 28. Sanchez. l. 6. consil. c. 1. dub. 8. n. 26. fusè Hypolit. Grafsetus in anatome necis. proditoria §. 9. quem sequitur Prænob. D. Christoph. de Chlingensperg in citato Judicio Jurisprud. Civilis per tot.*

12 II. An etiam is dicendus foret homicidium in Ecclesia pertetrâsse qui stans in illa alterum telo, vel sclopeto sternit stantem extra illam? quod licet communifimè negatum fuerit cum P. Wiestner *ad cit. decret. tit. n. 116. Illustr. & Reverendis. Barone de Zeller Tom. 1. Conf. 22. n. 17. Claris. P. Schmalzgrueber. ad eund. tit. n. 208. Delbene, Diana, Bonacina &c. eò quòd delictum non censeatur in Ecclesia, sed extra illam consummatum fuissè; contrarium tamen rursus definitum est in cit. Concilio Romano.*

13 III. Denique, & à me impræsentiarum tractanda Controversia est, utrum præter 8. Crimina à S. Pontifice Gregorio in altesatâ Bullâ excepta dentur adhuc alia, quæ Asylò non gaudeant, sive (quod in unum recidit) an non illa Crimina, quoad exclusionem patiantur extensionem, si alia sunt æque gravia, vel etiam longè graviora, & in iis inveniatur paritas, majoritas, vel identitas rationis, ob quam alia excepta fuere? id quod affirmant cum plurimis TT. varii CC. & LL. Interpretes.

14 Aliqui cum Barbofa *Jur. Eccles. l. 2. c. 3. n. 127. excipiunt Crimen sodomie propter ejus enormitatem; quæ tanta est, ut propterea leges insurgere, armari jura gladio ultore, & infames (hoc est ejusdem rei) exquisitis pœnis subdi jubeantur in l. 31. Cod. ad l. Jul. de Adult. & insuper comburi à Carolo V. Ordin. Crimin. art. 116. contra quos se opponentem, cum Diana, Castropallao &c. consule Haunoldum Tom. 6. tr. 1. n. 236. Varii cum P. Layman Theolog.*

15 *moral. l. 4. tr. 9. cap. 3. n. 6. P. Illfung tr. 5. disp. 2. n. 263. Schambog. ad tit. Decret. de Imm. n. 30. Asylò gaudere negant eum, qui mandat quempiam in Ecclesia occidi vel mutilari, eo quòd talis verè fiat reus homicidii & mutilationis sacrilegæ. arg. cap. 6. §. fin. de sent. excomm. & l. 6. ff. ad L. pompeii. de Parricid. & quod quis fecit per alium, per seipsum fecisse videatur reg. jur. 72. in 6. quibus contradicunt illustris. Præposit. Frising. Baro de Zeller cit. Tom. 1. Conf. 22. n. 18. P. Wiestner *ad cit. Decret. tit. n. 118. P. Ranbeck in Panoplia libertatis Eccles. disp. 4. cap. 6. Coroll. 2. n. 20. & alii quam plurimi ab his laudati. priorem tamen Laymanni sententiam cit. Bulla S. P. BENEDICTI §. insu-**

16 *per confirmavit. Rursùm alii cum Boerio Decif. 110. Martha De jurisd. p. 2. cap. 51. n. 31. Card. Tusch. pract. concl. V. Ecclesia. concl. n. n. 51. excipiunt Blasphemum in Deum vel sanctos ex ratione: quòd immunitate privetur delinquens in vel contra Ecclesiam cap. fin. de Imm. ergo à fortiori qui contra ejus Caput, vel sanctissimam istius Matrem delinquit, cum gravius sit æternam Majestatem lædere quam temporalem. Cujus contrarium melius defendunt Bo-*

nac.

nac. Navarr. Ambrosin. & alii, quos citat & sequitur P. Wiestner in cit. tr. de Jur. Asyl. p. 4. art. 10. n. 6. Iterum alii cum Riccio & Curtellio excludunt percutientes vel occidentes Clericum. contra quos disputat Delbene de Immun. sect. 12. n. 1. Alii rejiciunt simoniacos, temporale pro spiritali vendentes, eo quod simonia sit Crimeu atrocissimum, quam vocat *Can. 8. turpissimum lucrum cap. 9. de Sim. Crimen horribile.* inò Simoniam Hæresen esse expressè statuit *cap. 5. de Sim. & Can. 3. Can. quisquis &c.* ibi: *qui contra Simoniam & Neophytorum* (à Simone Mago Neophyto sic dictam) *hæresin pro Officii sui loco non vehementer exarserit &c.* quibus cum Barbosa cit. tr. cap. 3. n. 126. se rectius apponit P. Schmalzgr. cit. loc. n. 262. Nisi, ut ex P. Wiestner cit. loco bene advertit, Simonia involveret errorem intellectûs, & sic fiat hæresis propriè dicta, ante, tantum impropria & exaggerativè talis, ut si Simoniacus credat rem spiritali pro temporali emi & vendi posse &c. Clariss. P. Pichler ad Tit. de Simon. §. 1. n. 2. Alii excludunt Incendiarios, uti cum Sarp. Guazin. vult. Faber in l. 1. de His, qui ad Eccl. confug. ex ratione: quod æquiparentur depopulatoribus agrorum per *can. 23. q. 8.* Contrarium tamen longè probabilius defenditur à PP. Wiestner, & Schmalzgr. cit. loc. ubi etiam invenire licet Argumenta pro & contra, eorum, qui virginum raptores, falsarios, perjuros, & falsos testes procurantes abortum fœtus animati, Judices eorumque Ministros Asyli jura violantes, Asylis extrahi posse existimant.

Ego ut eorum, qui asserunt, Reos ob nulla alia delicta, quam 8. à S. Pontifice in cit. sep. Bulla excepta, Asylò excludendos esse, sententiam magis receptam, & Juri Canonico conformiorem tuear, ac fundamenta omnibus quæstionibus in specie applicabilia proponam, totam hanc materiam in unam quæstionem redigam, in foro utilissimam, ob frequentiam suam vix non quotidianam, & ante duos annos in hac Universitate sat acriter disputatam; hanc nimirum: *An Fur in Ecclesia deprehensus Asylò gaudeat?* Quæstionis hujus casum, qui revera contigit, hunc pono:

Köschingæ pro festo S. Nicolai anno 1725. sartor quidam Stammenensis aliàs incola, noctu in Ecclesia spontè inclusus, argenteam Lampadem sacrilegè contrectavit, utque propositi sui effectum plenè consequeretur, effugii latebras in templo undique conquisivit; at cum nullas reperiret, ex fenestra se demittere statuit, & concisis hunc in finem altarium mappis rem aggreditur, sed infelici eventu; singulari enim Dei Permissu contigit, ut suæ malitiæ instrumenta, quia traverso filo dissecata fuerant, subito rumperentur, & sic missellus sartor ex alto in profundum lapsus, alterum crus frangeret: paulò post doloribus ingemiscens, & tandem horrendum clamitans ab Ecclesiæ Ministris in Cæmeterio deprehenditur, ac publicæ custodiæ traditur. Ubi Quæstio oriebatur, an fur iste immunitate Ecclesiasticâ privandus foret, an e contra eadem gauderet, Ecclesiæ consequenter restituendus?

Furem hunc Asylò non gaudere sententia est est minùs recepta, & contra Canonistarum torrentem, ut ipsi fatentur adversarii procedens; eidem tamen subscribunt Boer. Decis. 109. Petr. Gregor. Tholosan. Syntagm. l. 33. cap. 22. n. 2.

Decia-

Decianus, & alii plures relati à Farinacio *de Carcerib. q. 28. n. 246.* iisque favent Covarruv. *l. 2. var. resolut. c. 20. coroll. 21.* Suarez *l. 3. c. 11. n. 6.* Laym, *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6.* Canis. *in c. 1. de Imm. n. 29.* & alii plurimi Authores, qui admittunt extensionem Criminum quo ad exclusionem Asyli. ac novissimè eam in medium produxit, acriterque propugnavit Prænob. & Magnif. D. Herm. Ant. de Chlingensperg. modernus Universitatis hujus Codicis & Juris Publici Professor dignissimus *in qq. select. de anno 1726. Parerg. 3.* Rationes hujus sententiæ, quantum colligere licuit, sequentes sunt:

23 I. Argumentantur à pari: occidens, vel mutilans in Ecclesia non gaudet immunitate Ecclesiasticâ, ergo neque in eadem furans. *consequentiam probant* ideo occidens non gaudet, quia censetur spe immunitatis deliquisse, quæ tota hujus constitutionis impulsiva est ratio, uti probatur ex cap. fin. de Imm. ibi: *cum autem in eo, in quo deliquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem; mandamus quatenus publicè nuntietis tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.* Dein si hæc non sit tota exclusionis ratio, cur Canonistæ ad hoc, ut talis homicida immunitate non gaudeat: tam sedulo requirunt, tanquam conditionem *sine qua non* ut homicidium factum fuerit *sub spe* immunitatis Ecclesiasticæ. sed etiam in Ecclesia furans, censetur deliquisse sub tali immunitatis spe & fiducia, *qui nisi per Ecclesiam se crederet defendi, nullatenus id fuerat commissurus* ergo si occidens in Ecclesia non gaudeat immunitate, neque eâ gaudebit furans. Ubi enim eadem est ratio, ibi & eadem debet esse juris dispositio, *l. 3. §. 2. de Injust. rupt.* & aliàs habet commune axioma.

24 II. Ideò privatur Asylo, qui eadem vel mutilationem *propè Ecclesiam* committit, in ejus v. g. atrio scalis, &c. & se postea ad Ecclesiæ immunitatem confert, quia talis censetur spe immunitatis deliquisse, uti tenet Communior CC. cum Gutierrez *cit. loc. n. 15.* Barbosa *n. 16.* Canis. *in cap. 1. de Imm. n. 31.* Zoes *ad tit. de Imm. n. 25.* ergo etiam furans in Ecclesia privabitur ejusdem beneficio, quia censetur spe immunitatis deliquisse, & quæso? quâ aliâ ratione modernus S. Pontifex ad excludendum eum, qui stans in Ecclesia alium extra illam consistentem interficit, moveri potuisset, quam quod talis censetur peccare in Ecclesiam, & reddere se indignum ejus beneficio, dum sub specie immunitatis homicidium committit? quod aliàs facturus non fuisset, nisi ab eadem defendendum se credidisset, & cur hæc ratio nos ad furem excludendum non traheret, præsertim cum

25 III. Id insinuari videatur in Can. 10. ibi: *ut eos, qui Ecclesias violasse perhiberentur, accessu earum judicarent esse indignos.* Item in Can. 17. q. 4. ubi Lucius Papa sic definit: *Sacrilegos hosce Ecclesiarum violatores à liminibus Matris Ecclesie Anathematizamus, Apostolicâ Authoritate pellimus.*

26 IV. Incredible videtur S. Pontificem Asylum negare voluisse in Ecclesia mutilantibus, atque occidentibus, & tamen illud concedere, eam furto sacrilego temerantibus, præsertim cum ob generalitatem rationis ex
cit.

cit. cap. fin. de Imm. adductam non adeo videatur excepisse crimen homicidii & mutilationis, quia homicidium est, sed quia in Ecclesia committitur sub spe immunitatis; & hinc cum sola ratio considerata esse videatur, idem quoque in nostro casu dicendum erit. scire enim leges non hoc est verba eorum tenere, sed vim, ac potestatem L. jure ff. de LL. l. regula 3. fin. ff. de jur. & facti ignorat. Sanchez L. 8. de matrim. Disp. 1. n. 11. Gonzal. ad. Reg. 8. Cancell. gloss. 4. n. 56. & certum aliàs est, quod is committat in Legem, qui Verba Legis complectens contra Legis nititur voluntatem Reg. 88. in 6. & l. non dubium ff. de LL.

V. Ex sententia contraria homines invitarentur ad furandum in Eccle- 27
siis, ergo non est admittenda. *prob. Ant.* ex sententia contrariâ demonstratur, quod nullibi commodius sit furari, quàm in Ecclesiis, sed per hoc invitantur, *prob. maj.* vel enim fures in Ecclesia deprehenduntur, vel non? semper commodius est furari, ergo? *si deprehendantur*, gaudent immunitate adversus sæcularis iudicis potestatem tutissimi, cum non solum neque ab Ecclesiæ Ministris inde excludi possint, ut est certa sententia cum Haunold. *Tom 6. tr. 1. n. 272.* per *cap. inter alia de Imm.* neque à iudice sæculari inviti inde queant extrahi *L. 2. cit. tit. Cod. de his. qui ad Eccl. ibi: sancimus nemini licere ad Sanctas Ecclesias confugientes abducere,* sed insuper deficientibus bonis propriis ab Ecclesia sint alendi, (uti Glossa colligit ex *L. presenti §. sanè Cod. cit. Tit.* in cuius fine cum servorum ad Ecclesias fugientium diuturnior mora cavenda jubeatur, subjungitur: *ne Dominis obsequia justa denegentur, & ipsi per incommodum Ecclesiæ egentium, & pauperum alantur expensis*) usque dum in eos feratur sententia, quæ cum tantum esse possit Medicinalis, sine magna difficultate subiri poterit. *si vero non deprehendantur* jam obtinuerunt finem suum; tuti iterum, cum magno interim Ecclesiæ dispendio, ergo nullibi comodius est furari, quam in Ecclesia. in hac demonstratione multum sibi applaudunt hujus sententiæ Patroni. eo magis, quòd.

VI. Sententia Adversa magis præjudicet Ecclesiæ, quam profit, ergo 28
non est tenenda. *probant. Ant.* fures plerumque gnari se tam dextrè in Ecclesiis furari posse, hanc furti speciem frequentius exercebunt, eas interim Ornamentis pretiosissimis exuent, quæ dum sæpius ingenti constant pretio, Ecclesiæ inde lu- tuosissimum damnum sentiunt, & insuper alimenta eis præstare tenentur.

VII. Non est absurdum admittere extensionem Criminum exceptorum 29
si ibi inveniatur majoritas, vel etiam identitas rationis, ob quam illa excepta sunt, uti de identitate rationis etiam in materia odiosa admittunt plurimi CC. & cum Panormit. *in cap. ult. de rescript. n. 10. & 11.* Covarruv. *in cap. alma. Mater p. 2. §. 4. n. 7* Suarez. *de LL. Lib. 6. c. 4. n. 2. & seqq.* in terminis docet Magnif. P. Franc. Schmier *jurisprud. Can. Civil. Tom. 1. Tract. præamb. cap. 3. sect. 2. §. 4. n. 74. & 84.* ex ratione: quòd stante omnimodâ quasi rationis identitate, prudenter inferre possimus quòd Legislator Legem pœnalem non imprudenter ordinaturus à sua dispositione non voluerit excipere personam aut casum sub ratione legis quasi necessariò contentum; imò debet fieri extensio etiam in legibus odiosis & pœnalibus, si aliàs inde absurdum sequatur, uti exponunt DD. in *Reg. 15. in. 6.* verbi gratia: incommodum Ecclesiæ vel Reipublicæ &c. uti casu quò

prohibita esset exportatio frumenti, ne Status affligatur penuriâ, utique etiam prohibita censetur farinae exportatio ut habet sententia Probabilior cum P. Vincent. à Castro Franco. *in citanda declaratione regularum Juris in 6. reg. 88. n. 4.* licet lex sit pœnalis. eo quod etiam ibi reperitur ratio, quæ in prohibitione exportationis frumenti militat, & aliàs absurdum sequeretur. Sic etiam licet Filius ob plures, quam 14. in *nov. 115.* relatas causas exhæredari nequeat, tamen earundem aliqua etiam extendi poterunt ad casus alios, si in illis inveniatur identitas, vel majoritas rationis, uti tenent Fachin. *L. 1. Contr. c. 78.* Manz. *tr. de test. Tit. 10. q. 9.* Struv. *syntagm. jur. Civ. exercit. 32. Th. 33.* & ibid. Petr. Müllerus *in not. rationem addens*: quod aliàs absurdum sequeretur, & daretur Materia liberis Parentes offendendi impunè cum multò plures alias ingrattitudines, & impietates adversus Parentes committere, sine metu exhæredationis possint. Gomez. *Tom. 1. resolut. 11.* Gail. *l. 2. observ. 95. n. 17.* Mynsing. *cent. 6. obs. 31.* & alii innumeri: exemplum dant in casu, ubi Filius cum propria Matre negotium habuit. Menoch *L. 2. de arbitr. judic. cent. 3. casu 277.* Georg. à Widmont *ad ff. tit. de exhæred.* Prænob. D. Crist. *de Chlingensp. Inst. eod. q. 9. obt. 1.* cum ibi major inveniatur ratio, quæ legis latorem movit, ut filium exhæredari patiatur, si Novercæ se immiscuerit. quorsum facit *L. 12. ff. de LL.* ubi dicitur non posse omnes Articulos legibus comprehendere, atque illum, qui jurisdictioni præest, ad similia procedere, & ita jus dicere debere. Ergo etiam id fieri poterit in nostro casu censendum enim est non expremum sub expresse contineri *l. nominis & reiff. de V. S.* & legem solum declarari per subjectum exemplum, uti innumeri DD. explicant *cap. fin. de Imm.* juxta Doctrinam Baldi *in l. quamvis in pr. ff. de Fide Commiss.* & ita, si P. Wiestner credam, argumentatur Sarpus *de Jur. Asyl. cap. 5.* Gambacurta *de Immunit. l. 15. cap. 18.* &c. potissimum, cum aliàs absurdum sequeretur, si extensio non fieret, hoc nimirum: quod immunitas in Ecclesiæ præjudicium vergeret; uti supra ostensum est. contra *Reg. 61. in 6. ibi: quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum.*

31 VIII. Immunitatis privilegium coarctandum potius est, quàm ampliandum utpote noxium bono publico, cujus interest delicta puniri, & reos condignè mulctari; Audiamus Eminentiss. Card. Lucam, qui *in suis Miscellaneis Discursu de Immunit. 2. n. 6.* ita discurret. *Ecclesiastici scriptores, Canonista, & Morales indiscretè magis forsàn, quàm par est, hanc immunitatem Zelantes ejusque favorem nimium ampliantes adeo subtiliter casuum exceptorum verificationem desiderant, ut ea ferè nunquam juxta eorum sensum dentur.* pergit *cit. loc.* Purpuratus Author *n. 9. largè contra delinquentes potius in dubio procedendum videtur, non autem amplectendus Ecclesiasticorum præsertim Moralium Zelus ut in dubio pro Immunitate respondendum sit, quoniam in concursu boni publici & privati primum est preferendum atque in dubio pro eo decidendum.* & hoc verissimum est, Immunitas enim solummodò favorabilis est in hoc, ne contra reverentiam Ecclesiarum per potestatem laicalem indebita fiat reorum extractio uti probant. *Can. Antiquitus Can. 17. q. 4. Can. de raptorib. caus. 36. q. 1. & cit.*

cap. inter alia de Imm. non autem favorabilis est, si agatur de Crimine excepto, cum interfit Republicæ delinquentes. puniri text. & DD. in l. ita vulneratus ff. ad l. aquil. l. 2. Cod. quando unicuique se &c. l. si operis Cod. de pen. id quod etiam advertit Ant. Faber. ad tit. Cod. de his qui ad Eccles. confug. def. 1. ibi quotidianis rerum experimentis compertum est, nihil posse dici, aut constitui periculosius aut perniciosius, quam si sceleratis hominibus liberum sit fugiendo ad Ecclesiam effugere Laici coercionem. sicut enim præmia benè meritis & virtuti, sic peccatis pœna, & supplicia nocentibus debentur Cicero L. 1. de Natur. Deor. & maxima judicum cura sit, ne maleficos patiantur vivere, exod. cap. 22. v. 18. nec supreme, ac æternæ Majestati à justitia sacerdotibus majus sacrificium, & pinquior hostia offerri potest, quam si qui in suam, & aliorum perniciem debacchantur, competenti vigore compescantur, uti pulchrè loquitur Can. quali nos. 23. q. 5. Ita hujus sententiæ Patroni zelosè perorant.

Sed tanta non videntur hæc argumenta, ut ingenuum Themidis Alumnum 32 à communi Canonistarum tramite desistere faciant. quare salvâ in omnibus Authoritate plurimùm mihi colendi Domini Professoris de Chlingensperg, sententiam contrariam, omni quippe juri maximè consentaneam, amplecti lubet, atque contendere furem istum immunitatis privilegio gaudere. sequentibus motus argumentis.

I. Peto ex ipso Bullæ Gregorianæ contextu. quæ cum fusiùs narrasset 32 causas gravissimas, quæ summum Pontificem Gregorium ad condendum eam impulerint, omniâque privilegia quomodocunque etiam ad pacem, & quietem publicam ex urgentissimis causis à Gregorii Antecessoribus eorùmque Legatis concessa revocasset, subjungit, se velle omnes controversias sublatâ penitus differentiâ ad unam tantum formam reducere & moderari ergo S. Pontifex censetur solummodò voluisse excludere numerata à se statim 8. delicta & in hibuisse DD. omnem in iis extensionem. consequentia ex Bullæ textu tripliciter suadetur. I. Quòd libertatem sæcularium NB. in interpretatione privilegiorum sibi 34 hætenus concessorum usurpatam restringere, & immunitatem à luculentis Judicum, & Præfectorum injuriis per protensum extensionis, & ampliationis jus, Ecclesiæ illatis præjudiciis vindicare voluerit, uti patet ex cit. Bulla ibi: quia plerique eorundem Principum Ministri ex hoc ipso illa (privilegia) diversimodè etiam latius, quam par erat, & ad suum libitum NB. interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti caperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis & immunitatis Ecclesiastica perturbationem, & occasionem &c. non restrixisset autem S. Pontifex libertatem interpretandi, si adhuc locus daretur interpretationi ex majoritate vel identitate rationis, ergo interpretationi locus amplius nullus erit. DD. enim indies plura, & plura crimina exciperent, in quibus vel umbram rationis invenirent. nec planè S. Pontifex intentionem suam consequeretur, cum illico, & sine ullo labore ex variis libris demonstrare vellem, ultra 20. delicta præter ea, quæ Bulla excludit, ab Interpretibus asylo privari, & totidem adhuc inter quoddam temporis intervalum excludenda fore sanè argurarer. Suadetur II. S. Pontifex in cit. Bulla 35

ademit omnibus illa privilegia, ut ut multiplicatis vicibus approbata, quæ permiserunt delicta à jure Canonico, vel aliàs aſyli privationem inducentia, ad alia delicta etiam ex cauſis *urgentiffimis*, ac *neceſſariis*, & *equipollentibus ex paritate, identitate aut majoritate rationis* extendere, uti deprehendes in cit. Bulla; ergo S. Pontifex prudenter præſumi nequit, voluiſſe concedere, ut præter §. delicta ab ipſo *solummodò* excepta, & in *unam tantùm formam* redacta etiam à DD excipiantur adhuc alia, ex *paritate, identitate, aut majoritate rationis*, cum nemo id cenſeatur largiri, cui mox antecederet derogare voluit. *arg. reg. 84. in 6. & l. eam que. Cod. ſi mancipium. Suadetur. III.* & evidentiffimè per hoc, quod S. Pontifex omnes Judices, etiam S. R. E. Cardinales ſecundùm hanc constitutionem tantùm judicare voluerit, iisque circa Bullam ſuam, & contenta, omnem interpretandi licentiam ademerit, ibi: *ſublata eis, & aliorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate* quid clarius? hoc non contenta adhuc Bulla in f. ita pergit: *qua omnia & ſingula quatenus præmiſſis in aliquo adverſentur, aut NB. plures, quàm ſuperius expreſſos caſus contineant auctoritate &c. perpetuò tollimus, & abrogamus ac ad terminos præſentis constitutionis, quoad ſuperius deſcripta duntaxat reducimur.* &c. Ex quibus omnibus manifeſtè eruitur caſus §. relatos à Pontifice tantùm exceptos interpretationem & extensionem non admittere. *Peregr. de Imm. cap. 16. n. 44.*

36 II. Id patet ex *cit. ſep. cap. inter alia. de Imm.* ibi: *quantumcunque gravia maleſicia perpetraverit, non eſt violenter ab Eccleſia extrahendus*, quibus dein ſubjiciuntur aliquæ exceptiones, quæ firmant regulam in oppoſitum, quoad caſus non exceptos *l. 12. §. 43. ff. de fund. inſtructo l. ex eo ff. de teſt. cum, & is, qui quædam excipit, de cæteris accuratiùs cogitaſſe videatur. l. 12. ff. de judic. l. 4. §. ſin. ff. de penu. leg. P. Wieſtner cit. tr. Part. 4. art. 9. n. 3.*

37 III. Bulla Gregoriana octo ibidem relatos caſus ab Eccleſiaſtica Immunitate excludens, eſt pœnalis & odioſa, privans illorum ſcelerum reos à beneficio immunitatis, jure gentium, Civili & Canonico aliàs ipſis conſeſſo, ſed lex pœnalis ejuſque pœna, propter paritatem, identitatem, aut etiam majoritatem rationis regulariter nequit extendi ad Perſonas, cauſas, aut caſus non expreſſos, ergo Bulla cit. nequit extendi ad crimen furti ab ea non exceptum, etiamſi in eo (quod tamen negari poſſe, poſtea videbitur) inveniretur paritas, vel identitas rationis, ob quam alia §. Crimina aſylo excluſa fuère. *Neque dicas* hanc legem non eſſe odioſam, ſed favorabilem; cum è bono Reipubl. ſit, ut pauciora crimina dentur, quæ noxiò hoc eidem aſylo gaudeant & in dubio potius Lex judicanda ſit favorabilis, quia de Principe potius beneficium, quàm odium præſumendum eſt: *Suarez de LL. lib. 5. cap. 2. n. 13.* nam Reſp. in æternum evinci non poſſe Gregorianam Bullam quo ad certorum criminum exceptionem non eſſe odioſam *ſaltem principaliter*; licet etiam concedi poſſit, eam ſecundùm quid ſecundariò, & per accidens eſſe favorabilem bono communi. Difficile quidem eſt diſcernere utrum lex ſit odioſa, an verò favorabilis, & Doctores in hac Quæſtione in tot abeunt ſententias, ut vix unus alteri aſſentiat. *aliqui enim aſſerunt*

ferunt legem illam esse absolutè odiosam quæ, alicui affert gravamen, etiam si aliis favorabilis sit, nam cum bonum ex integra causa, sit, absolutè favorabilis dici non potest, bene verò odiosa; sed displicet hæc doctrina, cum sic omnis Lex deberet esse odiosa, ut patet consideranti; cum omnis Lex gravamen imponat, v.g. Lex Tributorum, privilegiorum, pœnalis, quæ Principi, Privilegiato, Reipublicæ &c. sunt favorabiles, odiosæ vero subditis, Juribus, & reis &c. *alii* dicunt præcise ad legis intentionem respici debere, sed hæc cereo velut naso ab omnibus in quamlibet sententiam ducetur. Igitur melius cum Sanchez. *l. 1. de Matrim. D. 1. n. 4.* Covarruv. *2. var. c. 11. n. 5.* La Croix de LL. *n. 620.* in discretionem, utrùm Lex sit principaliter odiosa, utrùm verò favorabilis? duas regulas observandas esse judico. *I.* Est ut spectetur materia præcepta, quæ si conveniens sit his ac optabilis, quibus Lex præcipit, favorabilis est censenda, si autem onerosa sit, censetur odiosa. ità solidè discurret. Claris. P. Söll SS. Can. Dilingæ ante quosdam annos Professor *in tr. de scientia LL. p. 1. cap. 2. §. 1. n. 73.* *II.* Est, ut inspiciatur mens & voluntas Legislatoris, qui si principaliter intendat gravare partem, Lex erit odiosa, si vero largiri beneficium, dicitur favorabilis Haunold. *tr. proem. n. 7.* Clariss. PP. Pichler. *ad Tit. de Constit. n. 26.* Schmaltzgr. *eod. n. 5.* Certum autem nunc est Bullam Gregorij ex utrâque assignata regula, dici debere principaliter odiosam: nam & materia præcepta, scilicet: Reorum ex asylo dimmissio, est onerosa his, quibus ea præcipitur, uti patet; & insuper voluntas Gregorij intendit principaliter gravare reos, eosque privare beneficio, gentium, Civili & Canonico jure, ipsis concessio, ut patet ex verbis Bullæ, quæ hic allego: *ità tamen, ut quando præsens temporum calamitas & nimia quæ jam invaluit perversorum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium & ad coercenda eorum facinora, ultrà id, quod prisca Majorum nostrorum Disciplina, & vetus SS. Canonum norma præscripserat, congruâ moderatione adhibita permittamus. &c.*

Quod autem lex odiosa & pœnalis nequeat extendi ad casus similes, **38** licet in iisdem paritas, identitas, vel etiam majoritas rationis inveniat, communis est DD. cum Suarez *de LL. lib. cap. 3. n. 5.* Barbosa *axiomat. verb. pœna à. n. 7.* Gutierrez. *Can. Q. 9. 9. l. 1. cap. 42. à. n. 30.* Clarissimis PP. Pichler ad cit. *Tit. de constitut. n. 60.* Schmaltzgr. *eod. n. 48.* idque desumitur tum *ex cap. in pœnis 49. de R. I. in 6. & l. factum cuique §. in pœnalibus ff. de R. I.* tum pariter quia odia restringenda sunt, & favores ampliandi *per reg. 15. in 6.* rationem adhuc aliam dat P. Schmaltzgr. *n. 48.* scil. *quod ratio legis non sit lex,* licet enim ratio, quæ legislatorem pro hac casu movit, ad hoc, vel illud statuendum eum etiam movere *potuisset* ad idem statuendum in simili casu, potuit tamen etiam non movere, vel quia id noluisse, vel quia id ex re sua non iudicasset, uti argutè advertit Castro-Palao *tr. 4. Disp. 5. punct. 3. §. 4. n. 3.* & hujus doctrinæ exempla varia in jure assignantur à Delbene *cit. loc. sect. 3. a. n. 7.* Sic enim, licet excommunicatio statuta sit in religiosos sine licentia Parochi extremam unctionem, vel Eucharistiam ad ministrantes, aut Matrimonio assistentes *Clem. 1. de privileg.* eam tamen excommunicationem religiosi non in-

currunt si alia Sacramenta sc. Baptismum, & pœnitentiam sine Parochi licentia fidelibus dispensent, ut habet communior cum Gloss. in cit. Clement. & P. Vincentio Taccino de Castro franco in compendiosa declaratione Regularum juris Canonici in 6. in Reg. 15. cap. un. resol. 1. n. 7. pag. m. 213. sic licet excommunicationem Canonis, si quis suad. Diab. 17. q. 4. etiam incurrat ratihabens occisionem, vel gravem percussionem Clerici, per cap. cum quis. de sent. excomm. in 6. à ratihabente tamen homicidium, vel mutilationem non incurritur irregularitas, ut plerique DD. docent ad tit. Decretal. de homicid. P. Wiestner n. 62. Reiffenstuel. n. 48. Schambogen n. 15. Zoes. n. 22. Gonzalez in cap. 11. eod. Tit. n. 5. Pirrhing. n. 28. licet dissentiant varii cum Molin de 7. & 7. 10. 3. D. 33. membr. 4. n. 3. Rursus. sic licet eligentes scienter indignum ad Episcopatum sint ipso jure suspensi per triennium à beneficiis Ecclesiasticis, quæ habent in illa Ecclesia quam offenderunt eligendo scienter indignum c. 7. de Elect. c. 37. eod. in 6. hæc tamen pœna ad eligentes scienter indignum ad Prælaturas, vel beneficia inferiora neutiquam extenditur, uti notat Clariss. P. Pichler. ad Tit. de Elect. n. 43. sic Clericum abutentem scœminâ aut bestialitatem committentem non incurrere pœnas Pii V. contra Clericos Sodomitas, statutas cum communiori statuit Barbos. Collect. Tom. 2. l. 5. Tit. 31. c. 4. n. 10. quamvis ibi vigeat ratio gravioris delicti. iterum: sic probabilius videtur Excommunicationem contra ingredientes in Monasteria Monialium sub licentia pretextus à Gregorio XIII. latam non incurri ab iis spectato jure communi qui ingrediuntur ex alia causa quacunque, sed absque pretextu licentiæ. & similia plura; quæ legi possunt apud cit. P. Vicent. de Castro franco. & alios ab ipso cit. DD. Ratio omnium redditur ista, quia constitutiones hæ sunt pœnales, quæ nequeunt extendi ad casus similes ex paritate rationis vel etiam identitate per cit. reg. 15. n. 6. c. 22. & c. Tua de decim. L. cum quidem ff. de lib. & posthum. Ratio Rationis assignatur à Reginald. Tom. 1. in praxi. l. 13. 25. sect. 1. n. 262. quod lex pœnalis pendeat præcipuè à voluntate legislatoris & licet ratio dictet crimina esse puniendâ, non convincit tamen tale vel tale crimen hoc vel illo determinato modo puniendum esse. Plura dicentur infra in solutione object 7.

39 Et hanc sententiam unanimi calculo propugnant omnes communiter TT. & CC. cum Delbene de Imm. & Jurisd. Eccl. cap. 16. dub. 24. sect. 1. n. 1. pulchrè Haunold. Tom. 6. tr. 1. n. 235. Diana resol. moral. part. 1. tr. 1. resolut. 1. & 17. Illustriff. Præpos. Frising. Tom. 1. consil. 22. n. 35. Mar. Ital. l. 1. c. 5. §. 3. n. 18. Farinac. append. Imm. c. 16. n. 227. Palao tr. 11. D. un. p. 6. n. 10. Card. Tusch. V. immunitas concl. 59. Barb. l. 2. Jur. Eccl. c. 3. afferens Declarationes varias. Zoes ad tit. de Imm. n. 20. Schambogen n. 37. P. Wiestner n. 130. & in cit. sep. tr. de jur. asyl. p. 4. Art. 9. & 10. n. 13. P. Engel. ad eund. tit. n. 18. König n. 10. Clarissimi PP. Pichler n. 20. Schmalzgr. n. 200. & 261. P. Ægid. Ranbeck. in sua Panoplia cit. Disp. 4. c. 6. Coroll. 6. Magnif. P. Franc. Schmier tr. de jur. Eccl. c. 4. n. 45. citantur etiam Alexand. Sperelli decis. 95. n. 11. Pereg. de Imm. c. 6. n. 23. & 24. Wagnereck, Gonzalez, Fagnan. ad cap. inter alia de Imm. & alii plurimi, quorum si censum solummodo levissimum insti-
tue-

tuerem, centuriam illico in medium facillimè adducerem Restat nunc, ut ad-
versariae opinionis fundamenta subvertam, quæ si ritè considerentur, unico
quasi ictu disjici poterunt. etenim ad.

I. Resp. tripliciter *I. n. Ant.* hanc unicam præcisè esse rationem ad hoc, 41
ut occidens, vel mutilans in Ecclesia ab ejus asylo penitus excludatur. quod ta-
lis censeatur spe immunitatis deliquisse, sed quod S. Pontifex hac ratione motus
statuerit, eum non debere gaudere asylo, & hinc *tota* exclusionis ratio pendet,
& sita est in *voluntate* S. Pontificis, qui utique tempore constitutionis factæ
non censendus est ignorasse, etiam alia adhuc superesse crimina, quæ in Eccle-
sia patrari solent, & exclusionem ob eorundem enormitatem, & frequentiam
pariter mererentur; sed quia dictus Pontifex omnia criminum asylo exclu-
dendorum capita *ad unam formam* reducere voluit, *demptâ interpretationis li-*
centiâ hinc ejus voluntati planè erit acquiescendum. Resp. II. iterum *n.*

Ant. quod hæc unica ratio fuerit, quæ movit S. Pontificem ad statundam
asyli privationem in homicidio; potuerunt enim esse & fuerunt meò
judicio adhuc aliæ, sc. quod homicidium in Italia frequentius in Ecclesiis com-
mitti solitum fuerit: quod longè indecentius & ab humano consortio, nè
dicam Christiano magis alienum visum fuerit, homines in templis Deum ado-
rantes, insperatò vel non armatos, interficere, quam alia quæcunque crimina
perpatrare, &c. aut aliæ, quæ nos forsitan latent, & ex circumstantiis tum tempo-
ris existentibus desumptæ. Resp. III. *T. Ant.* quod hæc unica ratio fuerit, 42

quæ movit S. Pontificem, & simul, quod etiam hæc ratio reperiat in nostro
casu, tamen negatur consequentia, quia, ut supra dictum est in materiis odiosis,
& legibus pœnalibus (qualis hæc nostra Bulla est,) non admittitur extensio
casuum etiam propter identitatem vel majoritatem rationis, ratio enim legis
non est lex. & concedo penitus hanc rationem etiam S. Pontificem movere
potuisse, ut asylo excluderet furantes in Ecclesia: comittentes in ea ad-
ulterium, Virginum raptores &c. sed quod ratio hæc defacto eundem non mo-
verit, ferendum est, quia non mutas.

Ad id, quod additur, scil. quod ad homicidam immunitate privandum 43
requiratur tanquam *Conditio sine qua non*, ut delictum spe immunitatis com-
missum fuerit. Resp. etiam hoc contra Guttierrez *Q. Q. civil. l. 3. q. 1. n. 17* Fa-
rinac. de *carcerib. q. 28. n. 54.* &c. communius negari, cum hæc præsumptio,
quod cædes facta fuerit sub spe immunitatis sit juris, & de jure, non
admittens probationem in contrarium, uti volunt Layman. *Th. moral. l. 4. tr.*
9. c. 3. Haunold. *Tom. 6. tr. 1. n. 202.* Delbene *sect. 4. n. 6.* P. Schmalzgr. *ad*
cit sep. tit. n. 205. P. Wiestner *eod. n. 123.* Zoes *n. 2.* Schambogen *n.*
27. & licet S. Pontifex ad homicidas in Ecclesia occidentes ex asylo
excludendos, specialiter motus sit ab iis, qui sub spe immunitatis mutilant
vel occidunt, ex hoc tamen rursus non sequitur, alios sub tali spe non
occidentes, non excludi, cum sæpe ad condendam legem Universalem
non moveat ratio universalis: *ratio rationis* est, quod sicut de reis aliò-
rum criminum sic etiam de homicida textus loquatur indistinctè, & genera-
liter,

liter, quòd autem ratio talis adjuncta sit, id solùm ideo factum esse putem, quia potissimum continget, tales id ipse immunitatis facere. Aliam adhuc rationem subministrat P. Schmalzgr. cit. loc.

44 Ad II. N. committentes homicidium propè Ecclesiam in ejus v. g. atrii, scalis &c. excludi debere, cum Magnif. P. Franc. Schmier *cit. loc. p. 3. cap. 4. n. 40.* Illustris. Frinsing. Præposit. *Tom. 1. conf. 22. n. 19.* Suarez. Peregrin. Delbene, & aliis, quos citat, & sequitur P. Schmalzgr. *cit. loc. n. 210.* ex ratione: quòd solum homicidium, & mutilatio, si in *ipsis Ecclesiis earumve cameris* committatur, exclusa sint, quæ particula *ipsis* personalissima est, interius Ecclesiæ spatium solummodò demonstrans. Et licet in *Can. si quis antiquitus d. & Can. si quis in atrio. 7. & Can. quisquis 21. caus. 17. q. 4.* delinquentes ante fores, & propè Ecclesiam censeantur in ipsa Ecclesia delinquere, id tamen non procedit in nostræ Bullæ casu; cum ea sit odiosa, & consequenter verba ibidem strictè sumenda. Ad id quod additur de constitutione moderni S. Pontificis dico verum quidem esse, rationem hanc eundem unicè movere potuisse, sed quod non moverit, mihi sufficit.

45 Ad III. Resp. per citt. *Can.* plus non probari, quam furtum Sacrilegum crimen esse longè atrocissimum & hinc imploratum S. Pontificem invitum vix se præbiturum fore, in concedendo privilegio, reum violenter extrahendi, vel etiam largiendo generali indulto ad extrahendos Ecclesiis fures, casu quo hoc delictum in cujusdam territorio frequens nimium esset. Non autem exinde eruitur, eos *de jure* ex asylo violentes extrahi posse, aliud enim est esse indignum asylo, & aliud eodem esse exclusum. Indigni eo etiam sunt sodomitæ, Blasphemi, Simoniaci, & tamen plerique ex Adversariis eos asylo non ejicient. Dein licet extractio furum per *citt. Canones* (quod tamen falsum est) fuerit permessa, iis tamen per novissimam Gregorianam Bullam utique derogatum esse, nemo est, qui ignorat.

46 Ad IIII. nego hoc incredibile esse, cum id satis clarè, & in terminis manifestis verba Bullæ exprimant; & certò, potuerunt esse rationes aliæ fortè nobis incognitæ quæ S. Pontificem moverunt, ut hanc potius speciem delicti in Ecclesia patrati, quam aliam, exciperet. Nec potest censi solummodò ad rationem adjectam, *quia tales spe immunitatis delinquant*, & non ad ipsum homicidii crimen respexisse, aliàs enim uti benè advertit P. Schmalzgr. *n. 200. in f.* S. Pontifex Ecclesiarum Prælati occasionem dedisset graviter errandi, dum putarent solam mutilationem & homicidium in Ecclesia commissum ab asylo excludi, cum tamen aliàs eidem longè planius & facilius fuisset, paucis mentem suam exprimere, dicendo: *excludi volo delinquentes in Ecclesia.*

47 Ad V. & quidem aliquorum Principalem rationem. Resp. absurda ex mea sententia illata minime sequi, nam si fures in Ecclesia deprehendantur *ius exigat reos immunitate & asylo gaudere* cujus dispositioni in omnibus assurgamus oportet. Si vero non deprehendantur; superi, quis dicet eos illic esse tutos? An ergo omnes fures in flagranti deprehenduntur, & non è contrario plurima delicta sensim se ipsis, vel per viam inquisitionis deteguntur? Dilemma
ergo

ergo hoc, quod ab adversariis ad hominem, & indissolubile esse, specioso fucō ostentatur, planè non concludit, nec furem vitæ suæ amantem, facilè invitabit ad furandum in Ecclesia, præsertim cum semper in periculo sit, nè à S. Pontifice concedatur licentia ipsum extrahendi.

Dein neque universaliter verum est membrum primum, Gaudet enim ⁴⁸ quidem immunitate, sed non perpetuò, cum ut dictum est, facillimè ex indulto Pontificio extrahi possit; item hoc argumentum probaret nimium, omnibus enim delictis; quæ in Ecclesia fieri possunt, facilè applicatur, sed & sicut in nostro casu facillimè solvitur. Occasio enim delinquendi, quam ex asylis, hominum malitia aliquando sumit, per accidens est, cum eam Ecclesia ob iustas causas permittat, adeo tamen non intendat, ut potius quantum in ipsa est, mallet nullum à quoquam contra Deum crimen patrari; uti cum Delbene *cit. tr. cap. 16. dub. 2. à n. 9.* pluribus declarat P. Ranbeck. *in cit. Panopl. disp. 2. cap. 2. per tot.*

VI. Nimium imbecillis est, nam *Resp. I. T. totum & N. consequentiam* ⁴⁹ Argumentum retorqueo immunitas etiam quo ad alia Delicta Ecclesiæ & ejusdem Patrimonio non est favorabilis cum reos ad se confugientes teneatur alere, ergo ista planè exulabit. *Resp. II. n. supp.* quod immunitas debeat spectare bonum temporale Ecclesiæ, sed honorem & reverentiam solummodò habitationis Divinæ, & specialem cultum præsentia Sanctissimi debitum. Et hinc incom- ⁵⁰ moda, quæ forsàn per accidens Ecclesiæ inde nascuntur in amittendo ejusdem decore, & ornatu subinde pretiosissimo hac in materia non curantur, sicut nec alimenta confugis reis ad longum subinde tempus præstanda æstimat Ecclesia misericordiæ Mater, cujus tutelæ dum Confuga se comittit, æquum omninò est, ut ista pro sua in miseros pietate, eum non derelinquat, ne inediâ, & necessariorum defectu coactus sæculari potestati se cogatur tradere.

Advertendum tamen benè est, Ecclesiam ad præbenda confugæ alimen- ⁵¹ ta tantum teneri in subsidium, prius enim, si ipse reus (quod tamen valde rarum erit) vivendi mediâ habeat, ex suis, se alere tenetur, uti cum sylvestro, & aliis communiter tenet P. Wiestner *cit. tr. part. 5. art. 3. n. 9.* si ea deficient, consanguineis onus eum substandi incumbet. Quod si & horum aliorumque amicorum (quorum libertati Princeps sæcularis nequit limites ponere per *cit. leg. præsent. Cod. de his qui ad Eccl. &c. ibi: nec patimur, ut eis aliquid victualium, rerum aut vestis negetur, vel requies*) subsidium deficiat, Ecclesia primum subvenit Haunold. *cit. tr. 1. n. 247.* Insuper bene notat Panopliâ ⁵² Patris Ranbeck *disp. 4. cap. 5. n. 43.* reum cogi posse ad serviendum, & laborandum in commodum Ecclesiæ siquidem possit, & aliàs solitus sit laborando sibi victum quærere, nè immunitas ipsi sit ansa otiandi, neque Ecclesia grave inde nimis incommodum sentiat, cum id facili ratione sit compensabile, quo tamen in puncto Ecclesias non debere esse nimium rigorosas pariter monet. *cit. loc. n. 9.* cum ea potius mansuetudinem, & liberalitatem, quam avaritiam præ se ferre debeant. Et præter hæc omnia reus quòque ad restitutionem alimentorum, si fortè ad pinquiorem fortunam venerit, obligabitur, cum Eccle-

fia præfenti folùm neceffitati fubveniffe, non autem donaffe præfumatur. S. Thomas, *quodlib. 5. art. 17.* P. Haunold *cit. tr. n. 247.* P. Franc. Schmier *cit. cap. 4. n. 5.* P. Wiestner *ad Tit. Decret. de Imm. n. 153* P. Schmalzgr. *cod. n. 301. in f.* P. Ranbeck. *cit. loc.*

54 Ad VII. T. quod ob *omnimodam* identitatem poffit fieri in lege pœnali extenfio. debet autem ea effe *omnimoda*, & ut ex citt. DD. folidè, uti amat, advertit. Magnif. P. Schmier *allegat. loc. n. 74. talis* requiritur quæ non folùm effe adæquata, quoad omnes cafus, fed etiam quafi intrinfecca, feu cum *neceffaria* omnium cafuum connexione, ut contra iuftitiam: prudentiam vel rationem pugnaret, unum cafum fine altero præcipere vel prohibere; quod à me nunquam negatum effe putem; Quis autem fanæ mentis homo afferet talem rationis identitatem effe inter exclusionem homicidii & furti? è contrariò fuperius n. 14. demonftraffe me memini, aut planè nullam rationis paritatem hic intercedere (quia tota exclusionis ratio in voluntate *Gregorii Pontif.* fita effe) aut multùm difformem, cum inter utrumque cafum ratione frequentiæ aut enormitatis, lata adhuc fit differentia. Ad fummum igitur concedere valeo *aliquam* & eam valdè tenuem hic inveniri rationis paritatem, paritas autem in lege odiofa non facit, quod ad fimiles cafus extendi poffit; fed convincit unicè, quod legislator, fi voluiffet, cafum omiffum exprimere potuiffet, non autem quod de facto voluerit. Imo uti bene advertit laudatus Magnificus Author *cit. loc. n. 71.* cum quælibet vel minima diffimilitudo fufficiat, ad reddendam Difparitatem inter cafum unum aut alterum, eaque facile fit reperibilis, periculofum effe ex hac fola ratione legem ab uno cafu ad alterum (præfertim in pœnalibus) fub verbis nullatenus comprehenfum ampliare; id quod duabus instantiis ex iure Canonico petitis pulchrè illuftrat. *Ad instantiam* à caufis Exhæredationis petitam. Resp. rectiùs alios meo iudicio etiam in iis extensionem negare & communiùs & veriùs cum *Zoëf. ff. tit. de lib. & poftb. her. infl.* Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. difp. 13. Th. 8. lit. D.* Harprecht. *ad §. fin. Infl. de exhæred. lib.* Magnif. D. Verlohner *in differt. de mod. fucced. ex testam. art. 5. Q. 2. n. 4.* Haunold *Tom. 2. tr. 6. cap. 7. contrav. 5.* quia etiam *nov. 15.* effe odiofa infuper ità habens: *ut præter ipfas (caufas) nulli liceat ex alia lege ingratiitudinis caufas opponere.* Et fic paritas effe cum noftro cafu. Faciliùs tamen adhuc admitterem etiam filium Matri fe immifcentem exhæredari poffe, non quia ibi paritas, aut majoritas rationis adefte, (hanc enim in pœnalibus nihil prodeffe exiftimo) fed quia Mater fub nomine Novercæ faltem latè comprehenditur, & fic in hoc cafu non fit extenfio, fed jam ab ipfo legislatore facta effe alterius cafus comprehenfio.

55 Ad probationes Resp. leges allatas non procedere in odiofis, præfertim, ubi legislator omnem interpretationis licentiam quibuscunque Iudicibus ademit; paritas etiam ex iure feudali communiter adduci folita non ftringit, idem enim etiam hoc in iure dicerem, fi expreffè contrarium in *cit. cap.* statutum non fuiffet, unde argumentum Sarpi, & Gambacurtæ facilè enervatur; declaratio enim in legibus odiofis non procedit, & legislator utique hic ad folos cafus
 excep-

exceptos respexisse videtur, id quod probationes adductæ ad oculum demonstrant. Absurdum ex nostra sententia illatum solummodò est imaginarium, & in quorundam malèferiatis ingeniis conceptum. Uti abunde demonstratum esse existimo.

Ad VIII Et communem aliquorum melodiam concedo, ob rationes allatas & communem etiam Canonistarum sententiam immunitatem, non esse nimis extendendam, nec, uti benè advertit Cardinal. Lucas cit. loc (quem & sic interpreto) subtilitati in casuum exceptorum verificatione nimis indulgendum esse, ne Ecclesia fiat *spelunca latronum*, & *fomentum Criminosorum* contra *Can. 23. q. 4.* Ex quo tamen minimè sequitur, immunitatis privilegium *bono publico* uti ajunt, *odiosum* strictè interpretandum esse, uti cum Delbene Barbof. Farinac. Mar. Ital. Ambrosin. Decian. tenet P. Haunold *cit. tr. n. 44.* P. Wiestner *ad cit. Tit. n. 42.* P. Schmalzgr. *n. 103.* P. Pichler *n. 8.* quia privilegium summorum Principum, præsertim utriusque Juris Corpori insertum est latissimæ interpretationis, ut habet Comm. DD. *ad Tit. de privil.* Bono publico autem, nisi nimium, & ultrà, quàm jura volunt, extendatur, immunitas non præjudicat, tum quòd etiam favor Ecclesiarum, & reverentia Ecclesiis debita contineatur sub bono publico, tum etiam, quòd reipublicæ felicitas tranquillitasque non exigat, ut nullum unquam (omnia enim delicta, nec Ecclesia protegit) delictum sit impunitum, alias enim asyla statuere, & peccantium misereri DEUS non potuisset, aut id malo publico fecisse dicendus foret, quod nec adversarii admittent; præterquam quod fidei Christianæ dedecus summum esset, Ethnicorum Aras, & falsorum Deorum delubra in dando criminosis asylo potiora fuisse Aris Christianorum templisque vero numini consecratis. Verum quidem est majus nullum sacrificium Deo Immolari posse, quam si nocentes debitis afficiantur suppliciis, sed hoc procedit, nisi Rei aliunde ex causis æque gravibus gaudeant immunitatis privilegio; Si tamen adversæ sententiæ Patroni, ut videntur, discursum Eminentissimi Card. Lucae nimium urgerent; reponerem, illum neutiquam semper oracula fuisse, & ut abstineam à gravibus censuris, quas in suis *Q. 2. select. ad ff. præsertim in p. 1. Q. p. 5. Q. 9. n. 49.* in purpuratum hunc Doctorem (forsan non satis reverenter) vibrat Clariss. D. Gletle, præter alios SS. PP. unicum eidem oppono Augustinum, qui *serm. 5. de dedicat. Eccl.* sic loquitur: *grandem injuriam religionis, & divinitatis offensam esse, qualemcunque fugientem ad Domum Dei, à sacris liminibus id est de sinu Matris avellere, & arcem communis expugnare perfugii; sed fortè aliquis dicet, locus Sanctus Criminoso patere non debet: non est ita: hac enim inscrutabilis animi Argumenta non recipit Christus, qui pro impiis mortuus confugientibus ad se claudii aditum misericordiæ non permittit: qui Latroni fidem consentienti Paradysi claustra patefecit, reum à sacris adytis non vult excludi.* Viderint, ergo ii, qui immunitatem Ecclesiasticam omni, quo possunt, modo votisque avidissimis, sed nullo juris fundamento, deprimi anhelant, quomodo Doctrinam suam cum Sanctorum Spiritu concordent, eamque salvent à tot tantisque summæ Sedis diris & fulminibus in oses Immunitatis Ecclesiasticæ per varia Decreta, in specie Bul-

58 lam Cænæ latis, & omni anno renovari solitis. Si adeo inter sit boni publici certum flagitium ob ejus enormitatem vel frequentiam asylo non gaudente, adeatur S. Pontifex, qui ad statuendam criminis exceptionem, & violentam etiam Rei extractionem permittendam vix erit difficilis. Et sic Serenissimum Coloniae Electorem, & Archiepiscopum, Principem ac Dominum meum Clementissimum non multis ab hinc annis privilegium à sede Apostolica impetrasse memini, vi cujus militiæ defectores ad Ecclesias frequenter adeo refugere solitos, ab earum Antistibus & monasteriorum Prælatibus repetere, vel si nolint ex iisdem extrahere altèfatæ Serenitati permittitur.

59 Sed quid, si in Concilio Romano per citat. sup. n. 11. Bullam SSmi nostri, quæ emanavit Junii 1725. & incipit *ex quo divina disponente Clementia contrarium statutum fuisset?* videtur id sanè aliquibus. Pro fundamento adducunt. §. *excludimus pariter*, ubi sic habetur: *excludimus pariter falsificantes literas Apostolicas Ministros montis pietatis, vel alterius publici Telonii, aut Banci pro depositis Principis privatarumque personarum destinati (NB.) furtum, aut falsitatem in prædictis locis (Ecclesiis) committentes, cujus ratione arca pecuniaria ita minuatur, ut pœna ordinaria locus sit.*

60 Verùm enim vero ridiculam Bullæ hujus interpretationem! quis excitat. Text. *furantes in Ecclesia* immunitatis privilegio excludendos esse colliget? qualis enim sensus prodiret, si hanc, uti adversarii volunt interpretationem Bulla assumeret: *Ministros montis pietatis, vel alterius publici Telonii aut Banci &c. furtum in Ecclesiis committentes excludimus?* Cur Ministros Montis pietatis, aut alterius banci excluderet? & cur non omnes? Certe Ministri montis pietatis ad constitutionem hanc, si ea fures ab asylo repelleret, forent planè impertinentes. Bulla igitur unicè loquitur de Ministris Telonii, banci montis &c. in prædictis locis, hoc est, teloniis, bancis montibus pietatis &c. (non Ecclesiis, Quid enim hisce Ministris cum Ecclesia negotii?) furtum committentibus: Ratio quæ S. Pontificem ad excludendos hosce Ministros movere potuisset, hæc forsitan erit, quòd in dictis personis eorumque officiis, specialis requiratur fides, nè alias, aut piæ hominum intentiones in montibus pietatis per similia furta eludantur, aut etiam Commercia hominum (quorum non minima pars sunt banci publici) per horum furum proterviam turbentur, quæ ratio dum planè singularis est, non est extendenda ad furta quæ committuntur in Ecclesia; Juxta dicta superius *in prob. ult.*

61 Et esto hocce Concilium Romanum statuisset furantes in Ecclesia ejusdem immunitate privandos esse, ab hac tamen mea sententia asyllum iisdem præbente ne vel latum unguem discederem, ex duplici hoc fundamento:

62 I. Est, quòd dictum Concilium tantum fuerit provinciale, aut nationale non Generale, ergo non obligat *consequentia* videtur irrefragabilis, etsi enim Concilio Generali, consensu, & authoritate S. Pontificis congregato & approbato (aliàs erit acephalum nulliusque roboris Magn. P. Franc. Schmier *jurisprud. Tom. 1. tr. 1. de jure legali cap. 4. sect. 2. §. 2. de potest. concil. n. 88.*) utique competat potestas statuendi leges pro universa fidelium Ecclesia uti constat

ex actis Apost. cap. 15. & ex cap. Canones 1. & 2. seqq. Dist. 15. it. ex l. 4. & 7. §. 4. Cod. de SS. Trin. & defendunt unanimi sententiâ Catholici DD. omnes. Et fusè ac solidissimis fundamentis evincit P. Christoph. Rasler ingens hujus universitatis decus in elimatissima controversia theolog. de Regula externa fidei divina art. 13. Thes. 176. & seqq. cum Eminentiss. Card. Sfondrati in Regali sacerdotio l. 2. §. 2. n. 1. & 2. (videantur etiam Bellarmin. de Concil. l. 1. cap. 5. Ant. Phœbeus Inst. jur. Canon. tit. præm. n. 8. Plettenb. Introd. ad Jus Can. c. 13. & c. 14. Mezger de LL. Disp. 34. art. 1.) attamen Concilio provinciali, aut nationali nemo unquam DD. hanc vim tribuit, cum illud non repræsentet Ecclesiam Universalem nec etiam habeat promissionem specialem perpetuæ assistentiæ S. Spiritûs, utpote soli Ecclesiæ datam, & insuper jurisdictione in omnes fideles careat R. P. Rasler cit. art. 13. n. 75. ac insuper ab iis solummodo statuta condi. posse, quæ nationem illam aut provinciam obligent clarè decisum est in cap. Catholica 8. Dist. 11. cap. Concilia Dist. 17. cap. ult. Dist. 18. Trident. Sess. 24. de reform. cap. 2. Suarez. de LL. lib. 4. cap. 6. n. 8. Magnif. P. Schmier cit. loc. n. 93. Pettschacher de LL. q. 4. art. 3. & seqq. Clariff. P. Melc'ior Friderich consummata scientiæ Vir & præclarus olim hujus universitatis in Sacro jure Professor tr. de Consang. & affin. p. 2. q. 3. art. 1. §. 79. pag. mihi 45. vers. quamvis autem, eruditè demonstrans, jam à variis particularibus conciliis, uti Wortmatiensis, Metensi, Aquisgranensi, Triburiensi &c. erronea ac falsa dogmata tradita fuisse. Limitatur tamen: nisi à P. Pontifice pro tota Ecclesia recepta & approbata sint, sicut à Leone IV. recepta & approbata sunt Ancyranum, Neocæsareense, Gancyrense, Antiochenum, Laodicense & quædam alia. Canon. 1. post princip. Dist. 20. Pirringh. præm. n. 19. nullibi autem in Concilio Romano, ut ut studiosè desuper à me lustrato, reperire potui, factam fuisse à S. Pontifice ejusdem pro universa Ecclesia receptionem & approbationem. Nunc prob. antecedens Concilium generale juxta definitionem Magn. P. Schmier cit. §. 2. n. 81. est conventus Præsulum, totiusque Ecclesiæ Pastorum legitima autoritate indictus, factus confirmatusque ad majora fidei & religionis definienda negotia; Sed Concilium Romanum non fuit talis conventus ergo neque fuit concilium generale. Minor patet exinde quod neque omnes universalis Ecclesiæ Pastores convocati fuerint, sed tantum intrâ certam Provinciam constituti, neque etiam illud indictum fuerit ad definienda majora fidei & religionis negotia, sed tantum ad Ecclesiarum illius provinciæ necessitates communi consilio expendendas & consensu Formandas. vid. indictio Concilii ad concilium Generale seu œcumenicum autem vocandi sunt omnes rotius orbis Christiani Episcopi, idque ex jure proprio, quia vi officii sui sunt Pastores Ecclesiæ Eph. 4. in ea propriè habentes jurisdictionem sext. synod. art. 11. & sept. synod. c. 19. ita ut nullus positivè excludi possit, nisi excommunicatus, uti cum Bellarm. Vallens. Wiestn. suarez & certâ satis sententiâ statuit Clarif. P. Schmalzgr. Disp. præm. §. 8. n. 325. unde in sole illos caligare putem, qui Romanum novissimum pro Generali concilio venditare præsumunt; adque adhuc clariùs colligitur.

- 63 I. Ex ipsa indictione hujus Concilii de dato 24. Decembris 1724. verbis: volumus igitur, ac mandamus, ut Episcopi omnes NB. in Speciali nostra Provincia constituti videlicet inter capuanam Provinciam, & Pisanam &c. in hanc aliam urbem Conveniant, ut in concilio nobiscum congregati Ecclesiarum suarum necessitates proponere, & quæ discutienda proponuntur, communi consilio expendere, & consensu firmare valeant &c. idem pariter habetur in Concilii pro-
- 64 rogationis edicto. de dato. 15. April. 1725. Nec obstat, quòd concilium istud fuerit congregatum & approbatum autoritate S. Pontificis, quale DD. omnes pro Generali hucusque agnoverunt. Nam Resp. S. Pontificem huic Concilio non præfuisse, ut universæ Ecclesiæ caput, sed ut provinciæ illius Antistitem, Patriarcham, & Primatem, id quòd non solum indicatur per hoc quòd Concilium in ipsis edictis, vel textu nunquam vocetur *Generale*, aut *acumenicum* at unice *Romanum* hoc est à Romanæ Provinciæ Prælati institutum, sed etiam inde Colligitur, quòd convocatio hujus Concilii, aut synodi, provincialis non fuerit facta in Basilicam D. Petri, sed tantum *in Patriarchalem* (sunt verba S. Pontif. in edict. prorogat. cit.) *Lateranensem*, ubi S. Pontifex, ut Patriarcha, & suarum ditionum Primas respicitur. Et aliàs etiam concilium nationale à S. Pontifice indici potest, sine mutatione ejus essentia. Uti advertit Magnif. P. Franc. Schmier cit. §. 2. n. 83. dum concilium *nationale* sic definit: est conventus à Papa vel Patriarcha aut Primate, convocatis totius nationis, regni, aut plurium Provinciarum Archi- & Episcopis celebratus.
- 65 II. Ex ipsa subscriptione S. Pontificis concilii hujus statuta confirmantis, verbis: *Ego Benedictus S. Ecclesia Catholica Episcopus, his NB. synodalibus constitutis à me probatis, atque firmatis subscripsi & post me sequentes Rmi Cardina- Cardinales & Venerabiles Episcopi* notetur tò *synodalibus*, quo verbo, quid clacius? sic etiam Concilium hoc in cit. prima illius indictione semper vocatur *synodale* verbis: *simul etiam Capitulis & Cleris suis edicant, ut si quæ habeant negotia quæ ad synodalem conventum, quem in antedictum diem indicimus, deferenda censuerint, per procuratores suos, synodi judicio dirimenda, aut componenda proponant.*
- 66 III. Quod varii Archi Episcopi diversas Ecclesias habentes comparuerint solummodò nomine istius Ecclesiæ, quæ intra provinciam, in qua concilium indictam fuit sita est, uti Eminentiff. Cardinal. Pignatelli Archi Epif. Neapolit. solummodò per Procuratorem comparuit, ut Episcopus *Tusculanus* Eminentiff. Cardin. Boncompagni, Archi Episcop. Bonon. ut *Albanensis*. Eminentiff. *Lorbarius* Archi-Episcop. Moguntinus, ut Episcopus *Bambergensis* sedis Apostolicæ immediatus, & aliàs nulla in provincia constitutus &c. uti videre est in *subscriptionibus Procuratorum &c.*
- 67 II. Fundamentum est, quòd gràtis dato, voluisse S. Pontif. totum fidelium cætum concilio hoc, ceu lege Universali, & decretoria S. sedis sententia adstringi, illud tamen in plerisque Germaniæ Franciæ, Hispaniæ &c. partibus locum ideo non habeat, quòd juxta Doctrinam Clarissimi & Colendis: D. Profess. mei P. Pichler *ad tit. de constitut. n. 20. & 21.* longè mihi probabilius sit, legem Ecclesiasticam

ficam, ut ut æcumenicam & pro universâ Ecclesia latam non obligare, nisi in qualibet provinciarum metropoli promulgata fuerit, nec sufficere, si Romæ ad valvas basilicæ SS. Apostol. Petri, & Pauli, aut in acie vel campo floræ affixa, & sic populo in notitiam delata sit. Cujus sententiæ fundamenta, cum institutum meum non patiat eandem hic discutere, videre licet apud cit. Clariff. Auth. n. 20. Molin de J. J. tr. 2. Disp. 395. Less. eod. lib. 2. cap. 22. n. 98. Reif- fenstuel. ad tit. de Constit. n. 125. Aug. Michel q. 4. n. 7. Gelle jurisprudent. fund. l. 1. tit. 1. cap. 4. §. 7. n. 4. Engel ad tit. de constitut. n. 65. König ibid. n. 20. Someting. ad tit. Inst. de J. N. G. & C. n. 73. Gibalin. scient. Canon. l. 7. c. 2. q. 1. n. 7. Zypæum in analysi jur. Pontif. ad tit. de constitut. n. 1. dissentiunt Clariff. P. Schmalzgr. ad cit. tit. de constitut. n. 28. clariff. P. Ant. Söll in cit. tr. de scientia legum p. 1. cap. 1. §. 1. à n. 33. ad fin. fusè contrarium propugnans. P. Wiestn. tit. de const. n. 68. P. Jacob. Wex in ariadne Carol. Canonica p. 68. 4. Decad. 1. casu 10. n. 23. Suarez. de LL. lib. 3. cap. 16. Mezger de LL. Disp. 34. art. n. 10. cum Communi DD. S. J. uti testatur Clariff. P. Pichler cit. loc. & aliis gravissimis Theologis, adeò quidem, ut Joann. Carden. in Cris. theolog. p. 1. tr. 1. cap. 72. art. 11. meam sententiam post decretum Alexandri VII. quo plures propositiones in hoc DD. principio: *in legibus Canonicis requiri promulgationem in singulis provinciis*: damnavit, de omni probabilitatis gradu dejicere non vereatur, primus, ut ipse fatetur, hujus crisis Author, sed cum tristè successu! paucos enim imò vix ullum suæ hujus temeritatis affeclam fortitus. Illius fundamenta post P. Krimer ad tit. de constit. à n. 159. fusè & solidè refutata invenies apud Magnif. P. Franc. Schmier jurisprudent. Can. Civil. tr. 1. de jure legali cap. 5. sect. 1. §. 2. n. 43 & seqq. dignum propterea, ut à quolibet prioris sententiæ Patrono desuper studiosè legatur.

Cum igitur Concilium Romanum (supposito, quod ex mente S. Ponti- 69 ficis esset lex universalis pro universâ Ecclesia lata, quod tamen falsissimum esse arbitror) in singulis provinciis promulgatum non fuerit utique, nec obligabit; non tamen inficias eo, quòd si in eodem re ipsâ statutum fuisset fures in Ecclesia deprehensos ab ejusdem immunitate excludendos esse (quod iterum falsum est) sententiæ huic robur aliquod extrinsecum à tantorum Viro- rum autoritate desumptum accessisse. De intrinseco au- tem vehementer subsisto.



QUAE-



QUÆSTIO II.

An Ecclesia de prædiis & bonis noviter acquisitis teneatur solvere Tributa realia antiquitus pendi solita, à Principe Titulo jurisdictionis iisdem imposta?

SUMMARI A.

N. 1. 2. Definitur Tributum & dupliciter dividitur. 3. quadruplici Titulo Tributum potest exigere princeps. 4. 5. 6. 7. expenditur quali Titulo Tributa Ecclesiis imponi possint. 8. questio movetur utrum imposta Titulo jurisdictionis etiam ab eis solvi debeant, si prædia acquirant, 9. ad 17. referuntur DD. & rationes negantium. 17. 18. contraria sententia defenditur. 19. 20. 21. & variis textibus stabilitur. 22. 23. paritas cum privato instituitur. 24. alia ex servitutis natura depromitur. 25. praxin pro hac sententiâ militare tradunt DD. 26. quæ etiam per leges confirmatur. 27. negatur Tributa ista exigi Titulo jurisdictionis. 28. perpenditur veritas axiomatis ex l. 98. ff. de V. O. desumpti. 30. explicatur cap. de Imm. in 6. it. auth. item nulla Cod. de Episcop. 31. 32. assignatur quo ad hunc effectum differentia inter Tributa nova & antiqua, 33. 34. 35. rejicitur sententia D. Gletle afferentis bonorum Ecclesiæ à jurisdictione seculari exemptionem provenire tantum à cessione Principum. 36. eluditur Paritas cum exemptione servi ad SS. ordines transeuntis instituta. 37. extenditur hæc sententia ad bona patrimonialia Clericorum. 38. quibus tamen inspecto jure nova tributa imponi nequeunt.

Tributum à Zoefio ad ff. tit. de public. vectigal. & commiss. Sc. n. 8. & communiter ab aliis definitur, quod sit onus fructum ratione soli præstari solitum ab ejus possessore; varias easque notissimas recipit divisiones. Ego, ut pro instituti more rem brevibus absolvam, id in tres scitu hic necessarias partiar. Itaque Tributum aliud est personale aliud reale. Personale licet juxta definitionem à me datam nequeat propriè & strictè dici Tributum, cum non sit onus fructuum, communius tamen à Doctoribus cum Laym. Th. moral. l. 3. tr. p. 1. c. 3. recipitur diciturque illud, quod imponitur singulis capitibus, sive personis non attentâ facultatum proportionem, & nuncupari solet capitatio. De qua Laym. cit. loc. & Civilistæ in l. fin. ff. de muner. & honor. reale

Reale e contra est, quod imponitur rebus fundisque immobilibus, eorumque possessoribus pro rata possessionis. Suarius l. 5. de LL. c. 13. n. 3. dein aliud est *ordinarium*. quod certum & quot annis recurrentem ex communi lege antiqua vel nova præstationem continet, penditurque Principi vel Magistratui sæculari ad sublevanda R. P. cæ. onera aliud *extraordinarium*, quod emergente quâdam necessitate vel utilitate publicâ à possessoribus justâ proportionem exigitur. Denique aliud est *antiquum*, quod, ad sensum hujus loci, ratione prædiorum jam solutum fuit, antequam ea in manus Clericorum vel Ecclesiæ venirent. Aliud *novum* quod tum prius ab Ecclesia exigitur, dum bona actualiter possidet.

It autem Tributum à Principe vel legitimo superiore justè imponatur, ratio-
nabilis causa requiritur juxta omnes, idque inde patet, quod Dominium altum sive
eminens aut politicum in bona subditorum Principi aliter non competat nec
in plus, quàm permittat necessitas vel utilitas publica communitatis illius, cui
tanquam Minister, Defensor, Custos ac Rector est constitutus; uti explosis quo-
rundam Pseudopoliticorum, potissimum Machiavelli affectarum, fœdis princi-
piis statuunt TT. & CC. numero & autoritate aliis longè superiores cum
Medin. de restitut. q. 13. & q. 14. Sot. de J. & J. q. ult. art. ult. Less. eod. l. 2.
c. 33. dubit. 6. n. 1. Molin. D. 667. quibus accedunt Legistæ fere omnes uti vide-
re est apud Klockium de Contrib. c. 7. n. 4. Quales vero sufficiant causæ, solidè
expendit Clariff. P. Ant. Söll Q. Canon. de Trib. p. 2. c. 2. per tot. Notan-
dum tamen bene est in dubio semper præsumi causam justam adesse arg. C. 23.
q. 1. tenerique subditos ad præstationem Tributorum; uti cum communi re-
solvit & fusè evincit cit. Author p. 3. cap. un. q. 3. non autem in imponente suf-
ficit sola causa, sed requiritur insuper in eo legitima autoritas; sive Titulus, vi
cujus illa imponere valeat; cujus quatuor potissimum genera à CC. assignan-
tur. Itaque.

I. Est titulus Jurisdictionis, quam habet Princeps in suos subditos, tan-
quam Caput in sua membra, in ordine ad eorundem gubernationem per varia
præcepta, & leges dirigenda. II. Est titulus pacti, & specialis reservatio-
nis, quando scilicet in ipsa alienatione, & transmutatione prædiorum, iisdem
onus impositum est, ut omni anno certum quid præstent. III. Est titulus
Dominii particularis, quod habet hominus directus in re sua, cujus utile Domi-
nium alteri concessit. IV. Denique est titulus impensarum omnium cele-
berrimus, & in praxi usitatissimus, quando nimirum exiguntur impensæ in ope-
ra publica, vel in utilitatem communem locandæ; v. g. si viæ forent itineribus
aptandæ, aut reddendæ à latronibus securæ: si adversus hostium impetus ex-
truenda sint propugnacula. &c. vid Clariff. P. Pichler, ad tit. de Imm. n. 27.
in f. Sicut nunc in puncto juris satis communis est Catholicorum sententia: 4
onera, & tributa nova prædiis ab Ecclesia jam acquisitis, titulo Jurisdictionis
imponi neutiquam posse, per cap. non minus 4. de Immunit. Eccles. & ex ratione:
quod postquam bona legitime & absolute aliquando in Ecclesiam translata
sunt, nulla amplius sæculari Potestate in ea competat Jurisdictio; auth. item nulla
Cod. de Episcop. & Clericis. cap. 1. de Imm. in 6. Suarez l. 4. de Immunit. c. 20.

- n. 2. Barbos. l. 1. jur. Eccl. cap. 39. §. 5. n. 8. Pirringh. ad tit. de censib. n. 44. & ad tit. de Immun. n. 56. Schambogen. n. 62. Clarissimi P. P. Pichler §. 2. n. 28. & c. Schmalzgr. gr. n. 21. Magnif. P. Schmier. jurisprudent. Can. Civili l. 3. tr. de person. reb. & jurib. Eccles. p. 3. cap. 4. sect. 2. §. 1. n. 179. P. Engel ad tit. de Immunit. §. 2. per tot. P. König, & P. Bened. Schmier *ibid.* Sic etiam vix ullum reperire licebit, qui neget tributa prædiis vi specialis pacti, & reservationis, aut etiam dominiæ particularis imposita, ab Ecclesia, & ejus Ministris solvi debere, si prædia ista postmodum in eorum manus deveniant, uti habet non tantum Communis, sed etiam ipse P. Ægid. Ranbeck Immunitatis Ecclesiæ defensor accerrimus in sua *Panoplia Disp. 3. cap. 4. n. 26.* qui à communi aliàs interpretum tramite forsitan sæpius aberrat, & calamum Felle tinxisse videtur, eò acerbioꝛe, quò vanioꝛe. Idquod non tantum procedit, si ii census jam ante alienationem prædiis fuerint impositi, sed etiam, si in actuali translatione iisdem prius imponantur; Panoplia n. 28. cum quilibet rerum suarum sit moderator & arbiter, consequenter eas, sub quolibet onere in Ecclesiam transfere possit; & pacta talia, supposito quod aliunde juriſibus non repugnent, servanda sunt cap. 4. de Condit. appof. c. 6. de donat. Quæ Doctrina pulchrè confirmatur à Suarezio, quòd Ecclesiæ ab hoc onere nullo concipiendi modo liberentur; neque enim id fit *vi voluntatis* illius, qui rem in Ecclesiam transfert, ut supponitur, *nec per aliquam legem positivam*, cum talis ostendi nequeat, *nec ex natura rei*; quia id non est contra rationem, nec contra decentiam statûs, nec contra jus libertatis Ecclesiasticæ; An verò neque solvere teneatur tributa illa, quæ titulo jurisdictionis prædiis imposita sunt, antequam in eam, vel ejus Ministros transferrentur? controversia est ardua, calamo circumſpecto tractanda. Affirmativam tenent plurimi Canonistæ uti cum Abbat. Ant. Nigr. Genuin. Felin. in c. 10. de Constit. n. 76. Tannerus ingens hujatis facultatis Theologicæ decus in *defens. libert. Eccles. c. 13.* Suarez. de Imm. l. 4. c. 20. n. 12. Barboſa, qui eam in *tr. de jur. univers. Eccl. l. 1. c. 39. §. 5. n. 8.* expressâ decisione Rotæ Romanæ confirmat. Less. de J. de J. l. 2. c. 33. dub. 3. n. 31. Layman. l. 4. theolog. moral. tr. 9. cap. 6. n. 4. Pirringh. tit. de Imm. Eccl. n. 57. Wiestner *eod. n. 199.* Schambog. n. 63. Gutierrez. *pract. qq. q. 3. n. 15.* Panoplia R. P. Ranbek Zeloſo eam calamo propugnans *cit. loc. n. 3.* & novissimè clarissimi P. P. Schmalzgr. ad tit. de Imm. Eccl. n. 27. P. Ant. Söll, in *cit. Q. Q. Canonicis de Trib. p. 3. c. 3. q. 4.* fusè eam discutiens Clarif. P. Jacob. Spreng. modernus almæ hujus universitatis Theologiæ Professor profundissimus in *crudito tr. de Hierarchia Ecclesiast. Diff. 3. in Anatomia Anatomia legis amortizat. edita sub nomine D. Gletle. Q. 3.* cui sententiæ sicut nec autoritas sic neque fundamenta apparenter deesse videntur. Inveni sequentia.
- 9 I. R. P. Ranbeck *cit. Panoplia n. 31.* in medium adducit rationem hanc ut existimat, *efficacem*: tributa propriè dicta (intelligit ea, quæ exiguntur titulo jurisdictionis) repugnant immunitati personarum & bonorum Ecclesiasticorum, ergo etiam si antiqua sint, tamen non sunt præstanda. *conseq. evidens est, anteced. probatur* tributa propria præstantur in vim, & inditium subjectionis teste Apost.

Apost. ad Rom. 13. (ut refert cap. 2. de censib.) *omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, & vos subditi esse debetis, ideo enim tributa præstatis, quia hæc est probatio subjectionis*, sed repugnat immunitati Ecclesiasticæ debere subijci potestati sæculari, ergo etiam tributa repugnant immunitati. Consequenter nec ullo tempore à Clericis vel Ecclesia possunt exigi, etiamsi jam ante fuerint soluta. Quam rationem n. 23.

Confirmat. I. Ex recepto juris Auxiomate; quando dispositio ad eum 10 casum venit, à quo incipere non potuisset, prior dispositio cessat. l. 83. §. 1. ff. de R. J. l. 98. in fin. pr. ff. de V. S. subsistente tamen eadem ratione in continuatione quæ fuit in inceptione, sed impositio tributi Titulo jurisdictionis facta venit in eum casum, (nimirum Immunitatis privilegium) à quo incipere non potuisset uti constat, ergo cessat. Confirm. 2. Impositio tributorum præ- 11 prædiis laicis, facta, ab initio hanc conditionem habuit annexam, ut tam diuduret, donec prædium maneat Jurisdictioni sæculari subjectum, & usque dum illud capax illius fuerit, ergo ex natura rei hæc Tributa in prædiis Ecclesiasticis cessant, hæc ipso quod ad Ecclesias transferantur, cum cesset conditio sub qua imposita fuerunt.

II. Idem author textus agglomerat innumeros, I. affertur cap. 1. de Imm. 12 Eccles. in 6. ibi: *non licere, quasunque exactiones personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab iisdem pro prædiis legitimè hæctenus acquisitis, vel hæctenus acquirendis. Quod capitulum* (de aliis enim ipse desperat,) pro se planè putat concludere. Pontifex enim verbis Panopliæ utor) notabiliter ibi loquitur sub distinctione, tam de bonis, quæ jam possidebantur ab Ecclesia, quando impositum fuit tributum, quam de bonis, quæ postmodum acquirenda erant, & de utrisque exactionem fieri reprobatur; idque ulterius patet ex narratione textus & gravaminum; Laici enim volebant cogere Ecclesiam, ut vel tributum solveret quod ante ex prædiis perceperant, quàm ad Ecclesiam transferrentur, vel ejusmodi prædia dimitterent, sine dubio ex eo motivo, ne ipsi privarentur tributo, talibus bonis jam alienationem annexo. II. Auth. item nulla Cod. de Episcop. & Cleric. ubi statuitur: *Item nulla communitas vel persona publica vel privata, collectas, vel exactiones, angarias vel per angarias Ecclesiis vel aliis piis locis aut Ecclesiasticis personis imponere præsumat. &c.* sub pœna restitutionis tripli & banni Imperialis, in bona eorundem ferendi.

III. Adducitur c. 7. de Imm. Eccl. cap. 4. de censib. in 6. in quibus amplissima adversus præstationem tributorum, Ecclesiis, eorumque Ministris conceduntur privilegia. Plures textus adhuc addensat, iisque immunitatē Ecclesiasticam fusè probat R. P. Söll. cit. c. 3. à n. 75. Rationem parumper aliam sic adornat Suarez. cit. loc. 14 si in prædiis quæ deveniunt ad Ecclesias cessat ratio solvendi tributa, tunc non amplius salvà justitiâ possunt exigi, sed in prædiis, quæ deveniunt ad Ecclesias cessat ratio solvendi tributa, ergo non amplius poterunt exigi. major patet, eo quod cessante ratione debiti cesset & ipsum debitum min. pb. tota ratio, ob quam tributa in nostro casu (ut supponimus) exiguntur in Principe est jurisdictio, & in solvente subjectio, quia ista sunt Correlativa, & ubi datur unum, ibi & datur

datur alterum, sed tam jurisdictio, quàm subjectio in prædiis Ecclesiasticis cessant, ut patet, ergo.

14 Confirmatur. I. Non potest sufficiens assignari ratio, cur Princeps possit à prædiis Ecclesiasticis antiqua tributa exigere, & non nova, cum tamen utraque exigantur titulo Jurisdictionis? Confirmatur II. S. Pontifex potuit bona ad Ecclesias devenientia omnibus tributis etiam ab Antiquo jam præstari solitis liberare, ergo id etiam de facto fecit, cum non solum mentem suam in Variis textibus clarè videatur expressisse, sed & id voluisse censendus sit, eo quòd SS. Ecclesiis, & venerabili Clero, omni meliori modo prospicere voluerit.

16 IV. Argumentatur Guttierrez *cit. loc.*: mutatione personæ mutatur conditio rei, & sequitur qualitatem possessoris l. 1. *Cod. de Impon. lucrat. descript. lib. 10. l. Paulus. ff. de acquirend. hered.* Bartol. *ibid.* Joann. Petr. Surd. *lib. 2. conf. 262. n. 30. & 31.* ergo bona, licet ante tributis fuerint obnoxia, iisdem eximentur & gaudebunt Clericali privilegio, si ad Ecclesias vel earum Ministros deveniant. Confirmatur accessorium sequitur naturam sui principalis, ergo bona tanquam accessoria, induent immunitatem principalis, seu personæ in quam transferuntur. Juxtà regulam: *si persona est exempta, etiam res seu bona sunt exempta* R. P. Söll *cit. c. 3. n. 174.*

17 V. R. P. Schmalzgr. *cit. loc.* sic ratiocinatur: Magistratus sæculares prohibentur quascunque collectas, ac contributiones prædiis Ecclesiasticis imponere, vel exigere *cit. cap. 1. de Imm. Eccl. in 6.* ergo non solum prohibitum est has imponere, sed etiam antiqua exigere, hoc ipso enim, quod transeant ad Ecclesiam, liberantur à jurisdictione laica, sicut eximitur servus ab onere servitutis eò ipsò, quod initietur SS. ordinibus.

Quibus omnibus tamen non remorantibus contraria præplacet sententia, quam præter veteres Interpretes, quàm plurimos, ut Innocent. Joan. And. Abb. Panormit. *in c. 4. de Imm. n. 16.* (cujus verba refert P. Engel *cit. loc.*) defendunt ex Canonistis P. Wagenreck. *in c. 1. de Imm. Eccl. in 6.* Colendissimus in Sacro jure Professor meus. Clarif. P. Pichler. *cit. tit. n. 30.* P. Engel *eod. n. 25. & 26.* Cubi & aliquot DD. ex parte adversariorum allegari solitos, ipsi eripit, & non tantum Abbatis Consilium tam abundanter ab ipsis prædicatum, de tributis noviter imponendis loqui, sed & decisionem Rotæ ex Barbosa productam de novis oneribus, & mixtis, Gabellis, exactionibus &c. differere iustinet. Layman. *cit. loc.* nostræ magis, quam contrariæ sententiæ favet, eo quòd nihil apertè decidat, & Doctores ab ipso relati, si aliis credimus, solummodò loquantur de oneribus novis, & non antiquis. Molina *de J. & J. tr. 2. disp. 456.* quem licet aliqui ex adversariis, tantum explicent de tributis, vi particularis domini, vel pacti impositis, mihi tamen ejusdem verba ponderanti, apertè assentiri videtur ob Generalitatem rationis, quâ utitur: Quoniam res transit ad quemcunque possessorem cum suo onere reali, quo erat affecta.

18 Ex Civilistis præter communem Aatholicorum Scholam (qui de se ex innato in Clerum odio parùm forent attendendi) eam tuentur Perez *in Cod. tit. de Episcop. & Cler. n. 4.* & alii plures, quos citat, & sequitur *Anatomia legis*

gis Amortizationis. tractatus quidam posthumus, à D. Gletle, ut pro se fert rubrica, conscriptus. *Q. 3. pr. tot.* Franc. Balthasar celebr. Salisburgi Professor in *prestanti dissert. de oper. subdit. Cap. 8. Deduct. 3. n. 2.* citans Joann. Petr. Surdum *l. 2. conf. 262. n. 3.* & Petr. Matthæ in *addit. ad Guido Pap. decis. 382.* & in hanc sententiam cum Andr. Gaill *pract. observ. l. 2. observ. 52. n. 11.* totus propendet Illustri Baro Schmid *semicent. II. Controv. 9. à. n. 2. & 3.* Vir uti à scientia, sic etiam à religione commendatissimus, & Immunitati addictissimus, uti patet volventi citatas controversias. Citat is pro se eundem, qui ab adversariis allegatur, Barbosa *tract. de jur. Eccl. unvers. l. 1. cap. 39. §. 5. n. 75.* & eandem decisionem Rotæ *de dato 13. Febr. 1604.* Cui Illustri Authori, aliàs satis accurately, facilius crediderim, præsertim cum & ipsissima Barbosa verba referat. Favet etiam Prænob. D. Christ. de Chlingensp. in *limatâ Dissert. de oper. subdit. cap. 3. aff. 29. n. 1. prob. 2.* citans Caspar. Klock. *de Contrib. c. 14. sect. 1. n. 18.* & Modest. Pistor. *vol. 2. conf. 9. n. 39.* & hæc sententia: licet Clariff. P. Söll. cit. superius loco *p. mihi 98. in f. ex Martha Tr. de Jurisd. p. 4. cas. 11. n. 28.* & seqq. afferere non dubitet, eam nullo certo initi fundamento: rationibus longè gravioribus instruitur & stabilitur. Quæ me moverunt, sequentes sunt.

I. petitur ex Regula Generali desumpta ex *cap. 5. de pignorib. l. 20. §. 19. ff. de A. R. D. l. 3. Cod. de Servit. l. 13. Cod. de distract. pignor.* scilicet, quod qualibet res transeat cum suo onere, ergo bona & prædia antecedenter ad alienationem in manus Ecclesiæ, tributis titulo licet jurisdictionis impositis obnoxia, cum hoc onere transfunt ad Ecclesiam Clariff. P. Pichler & Gletle *cit. loc.* Hujus axiomatis & argumenti vim satis agnoscunt adversarii. Non inhærendum esse ejus cortici asserunt R. P. Söll *cit. cap. 3. n. 182.* & Clariff. P. Jacob. Spreng. *cit. q. 3. vers. quapropter.* Igitur nucleus penetrandus erit. Videamus. R. P. Söll *cit. n. sub fin.* ait, brocardicum hoc ita interpretandum, ut cum aliis, quantum fieri potest, juribus concordet, quod sic fieri putat, si dicatur: rem transire cum onere merè reali ordinario ac perpetuo vi conventionis aut pacti à Domino proprietatis imposito, aliàs enim si illi immunitatè & generaliter sumetur, varia inde absurda emanare. I. quidem, sequeretur mutatione personæ non mutari qualitatem ac privilegium rei inhærens, contra *l. 90. ff. de acq. hered.* II. Quod Laicus amplectens Statum Sacerdotalem non religiosum retineat subjectionem priorè, erga Magistratum Laicum, & servus statum servitutis. III. Quod, si in loco, oneri alioquin subjecto, contingeret exstrui Ecclesiam, locus ille exemptione non gaudeat; Sed iste nondum est nucleus generalior enim est sensus hujus axiomatis, quam ut ad onera realia vi conventionis imposita restringi valeat, Tributa enim prædio imposita, non minùs sunt onera realia, quam census tales, pacto constituti; nec obest quod ii imponantur Titulo jurisdictionis, quia, si prædia ista transferantur in Ecclesiam, Titulus hic evanescit, & subintrat Titulus oneris realis aut defensionis, vel etiam *pacti taciti*, quod ineunt Ecclesiæ & Clerici cum Domino territoriali ad solvenda Tributa antiqua, cum alioquin Princeps aperte

(an semper justè hic non discutiendum erit) renisurus foret, ne bona illa in Manus Ecclesiæ deveniant. Absurda illa ex hac sententia nullatenus sequuntur, nisi transversim omnia velimus dispicere. Mutatione personæ etiam mutatur qualitas rei, sed non aliter, quàm si fuerit personalis, & incompatibilis eum personæ mutatæ statu. Laicus initiatus SS. Ordinibus subjectionem priorem utique non retinet, quia onus reale non afficit personas liberas, & insuper hoc onus incompatible foret cum statu personæ mutatæ tam ex dispositione juris, quàm naturali decentia vid. *solut. ult. object.* Locus, in quo exstruitur Ecclesia, sine dubio omni onere eximeretur etiam antiquo, partim quia fieret sacer, & mutaret formam prædii, partim quia iniquum foret exigere tributum de re, ex qua nullum temporale commodum percipit Ecclesia, & insuper contrarium statutum est in jure *cap. 1. de Censib. & Can. 25. caus. 23. q. 1.* vid. dicenda *n. seq.* ergo suo in robore manet inconcussa veritas: rem omnem transire cum onere reali.

21 II. Nemo potest plus juris in alterum transfere, quam ipse habet. *l. 54. ff. de R. J. cap. 79. de R. J. in 6. l. 31. ff. de pign. l. 20. ff. de A. R. D. Balthasar cit. loc.* Sed hoc fieret si Ecclesia ex acquisitis à Laico bonis antiqua solvere recusaret, cum alienans sic transferret plus juris, exemptionem nimirum à tributis ergo? *Nec moror*, responsionem Adversariorum, qui negabunt suppositum ab alienante provenire immunitatem ab oneribus antiquis, sed id fieri afferent Authore S. Pontifice & ex dispositione Canonum. Nam si bona ab Ecclesiis acquisita (utì zelosè perorat P. Söll. *cit. loc. n. 183.*) eodem modo subjecta sint, quò erant, antequam in eas transferrentur, quàmnam immunitate, quo privilegio gaudebit Ecclesia? quodnam est illud privilegium? in quo consistit? profectò vel protervè, cum iis, qui contra Jus divinum & humanum confundunt Hierarchiam Ecclesiasticam cum temporali, neganda est immunitas Ecclesiis concessa, vel si affirmatur concessa, pariter fatendum erit, per illud privilegium auferri à bonis Ecclesiasticis ea onera, quæ ante inerant, ut non amplius possint per Principes laicos *vi jurisdictionis temporalis* gravari. Sed præsumptum, quo ad exemptionem ab antiquis oneribus, privilegium eadem facilitate negatur, quàm adstruitur. Nullo enim jure id probabitur. Non *divino*; utpote, quo inspecto, controversum adhuc valde est, an bona Ecclesiastica à *jurisdictione seculari* sint immunia; non *naturali* quæ enim intrinseca adstruetur turpitudine, si exigantur à prædiis (rebus merè temporalibus) Tributa, in utilitatem communitatis imponenda, potissimum eum jurisdictionis Titulus nullus interveniat, & æquitas naturalis ex contraria sententia etiam juxta DD. tota militet, nec denique jure *positivo*. uti infra patebit. Sine ullo itaque fundamento, & indiscretè magis, quam par est, privilegium simile prætenditur, nulli rationi innixum, & insuper bono publico vel maximè odiosum. Sciscitanti relato Authori, in quo ergo consistat Immunitas Hierarchiæ Ecclesiasticæ? respondeo, in hoc, quod eximatur à *jurisdictione* potestatis sæcularis. Falsum autem est tributa antiquitus pendì solita, ab Ecclesiis exigì *vi jurisdictionis* quod tamen inconsideratè sibi plurimi ex *cit. DD.* persuasisse videntur.

III. Desumitur ex ipso Sacro Jure, & effatis SS. Patrum, I. ex Canon. si ²¹ tributum 27. caus. ii. q. i. ubi S. Ambrosius sic loquitur: si tributum petit, non negamus. agri enim Ecclesie tributum solvunt. Perez. cit. loc. II. ex cap. i. de censib. quod dum ante disposuerat, cuilibet Ecclesie pro dote deberi mansum à quolibet servitio temporali liberum, in fine subjicit: & si aliquid amplius habuerit, inde senioribus debitum servitium impendant, quem textum abundè clarum, & convincentem esse meritò existimat Panormit: *ibid.* idem statuitur in Can. 25. caus. 23. q. i. ex quibus sic infero: Exceptio firmat regulam in casibus non exceptis, ut habet axioma jurid. ergo cum in cit. Can. tantum statuatur de Manso, & locis Ecclesie conjunctis (qualia illa esse putem, quæ expressè dicata sunt ad cultum divinum v. g. Cæmeterium &c.) quòd tributis omnibus sint exempta, satis indicatur bona reliqua esse iisdem obnoxia & gratis asseritur à quibusdam argumentum à contrario non procedere, si alia habeatur dispositio; cum hæc prius ostendi debeat, jam dudum à me desiderata, necdum autem ullibi deprehensa, cui tunc reverenter, ut decet, assurgam. III. Est textus expressus in cit. Can. 27. caus. 23. Q. 8. in quo summopere glorior, sic enim ibidem ait Urbanus Pontifex: *de exterioribus suis, quæ palam cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit - - quod constitutum antiquitus est pro pace & quiete, quia nos tueri, & defensare debent, Imperatoribus solvendum est.* Notetur benè ratio S. Pontificis, *quia nos tueri, & defensare debent.* Quam rationem plurimi ex adversæ sententiæ Patronis, aut nescisse, aut non satis penetrasse videntur, alioquin fundamenta sua haud multum urfuri, cum hoc in clypeo ferè omnia retundantur, ut videbimus infra. Hunc textum luce meridiana clariorem, ut obscuret, R. P. Ant. Söll in *citt. sepius Q. Q. Can. de Tribut. p. 2. c. 3. n. 190.* triplicem adfert responsionem, 1. est, quòd cum textus non loquatur de omnibus rebus, commodè intelligi possit, de iis quæ cum hoc onere translata sunt 2. in cit. textu non dici, tributa illa non fuisse soluta sine Pontificis aut Cleri consensu, multò minus Clericos à Principe ad ea solvenda cogi posse. 3. tunc temporis non potuisse Ecclesiam suæ exemptionis jure uti, ob gravissima Imperatorum Gentilium præjudicia, sibi alioquin metuenda, unde in sole caligat, qui ab illo tempore ad nostra consequentias ducit. Sed difficultatem auget, non minuit, citatus author, clarior enim Urbani Pontif. est decisio, quàm ut speciosis verbis evitetur. Et certè si pro libitu textus interpretari licitum foret, actum esset de Jurisprudencia nostra, digniore funebrali lessò, quàm cedrino triumpho. Consensum Pontificis frustra dicitur requiri, cum is hac super materia consultus generaliter responderit, quid jura velint. Tempora nunc utique vigent, Christiano in Ecclesiam Zelo laudanda, inde tamen indiscretè infertur simile privilegium nullo in jure fundatum, nec ullà ratione subnixum. ²²

IV. Sic adornatur: privatus quilibet, potest rem suam onere reali afficere, quod ad omnes etiam Ecclesias, & Clericos transeat, uti communis habet opinio superius relata, ergo etiam Princeps onere reali sive tributo prædialità valet obligare, ut ad omnes successores, etiam Ecclesias, transeant. Quæ paritas mihi videtur esse stringens, sicut enim id licet privato vi domini privati

vati in re sua, cujus pro lubitu est moderator & arbiter, sic etiam Principi id licitum erit vi alti, ac eminentis domini, quod habet in omnia bona subditorum, ut de iis ad instar privati, exigente id utilitate publicâ, disponere valeat, quam hic subesse in confesso est; cum juxtâ Tacitum politicorum Principem *l. 4. Histor. cap. 74. neque Quies gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis haberi possint.* Dupliciter hoc argumentò peccare argui possem ab aliquibus. *I.* Quidem, quòd inter utrùmque casum hæc sit differentia, quòd non implicet Titulo pacti vel reservationis tale onus imponi prædiis, etiam in Ecclesias transitorium & ab iis solvendum, cum liceat cuique conditionem contractui apponere, quam libuerit, modo juribus non repugnantem, econtrâ vero implicet, Principem imponere posse Titulo jurisdictionis onus reale prædiis quòd etiam in Ecclesias transeat, qualis enim sæculari in spiritualia competit jurisdictio? Sed non solvitur, responsione hac, quam exploditur argumentum. Et certè misereor etiam literatissimorum virorum fundamenta omnia & responsa inniti falso hoc supposito: quòd in hac exactiōe interveniat Titulus jurisdictionis. Lubentissimè fateor laicis nullam in Ecclesias, statum utpote digniorem, favore & honore omni excolendum, competere jurisdictionem, sed eam hic exerceri quis inquiet? cum ut onus merè reale ad quemlibet possessorem transiens talia tributa solvantur. *II.* Negatur à quibusdam *suppositum* quòd potestas imponendi tributa talia, qui etiam ab Ecclesiis solvi debeant, sit necessaria ad felicem gubernationem reipublicæ. Notanter enim ait Lessius. *de J. & J. l. 2. c. 33. dubit. 3. n. 22.* Deum, cujus protectione & directione regnorum administratio maximè nititur, infinitis modis compensaturum esse, exiguum illud detrimentum, quæ ejus servis remittuntur, vel calamitates & seditiones avertendo, vel prosperos successus bellorum, nova regna, ubertatem Terræ & alia hujusmodi largiendo &c. Ast non eo quidem inficias, Principem laudabiliter agere, si Ecclesiis earumque Ministris, quorum ope & Precibus non leviter adjuvatur communis aliorum felicitas, gratiosè vectigalia condonet, inde tamen non infertur, ea, si fuerint antiqua exigi non posse saluâ justitiâ & salvis immunitatis Ecclesiasticæ juribus, quòd tamen hic probari deberet; inutilibus cæteroquin Phrasibus ad rem non facientibus, chartam tempusque perdimus.

24 V. Iterum procedit à pari: fundus onere servitutis obstrictus, si ad Ecclesiam deveniat, cum hoc suo onere ad illam transit, ergo, & à pari, si fundus ratione tributorum jam ante Principi obligatus ad Ecclesiam deveniat, transibit quoque cum hoc onere tributorum. *Probo conseq.* ideo servitutis onus etiam ad Ecclesiam transit, quia est onus reale ipsi rei inhærens, sed & onus tributorum, reale est, ipsamque rem afficit. *text. in l. 3. Cod. de annon. & tribut. lib. 10. l. 7. ff. de publican. & vectig. &c.* ergo & illud transibit. *Confirmatur* hæc paritas ulteriùs, idèd servitutis onus est reale, quia debetur personæ propter rem, sed etiam tributum debetur propter rem, scilicet prædium, & non à persona exigitur, ergo etiam illud est reale, ergo si unum transeat etiam transibit

fibit alterum, aut detur manifesta disparitas, quæ vix excogitari poterit, ubi Basin in titulo jurisdictionis fundatam, adversæ sententiæ semper subtraxero.

VI. Fluit ex eo, quod pro nostra sententia militet præxis fermè universalis totius Germaniæ, de qua testatur Illust. Baro Schmid. R. P. Pichler, P. Engel *cit. loc. Abb. Panormit. cit. loc. n. 16. ibi fateor tamen, quod Italia, quæ est Princeps Provinciarum non obligetur hodie ad tributa*, ergo à contrario sensu innuit, reliquas de consuetudine obligari. Unde P. Pirringh. *cit. loc. sect. 3. §. 3. n. 75. sententiam meam censet esse probabilem, nec eam audent erroris damnare. Eo quod constat praxin esse optimam juris interpretem, DD. ad tit. de Consuetud. per l. 37. & 38. ff. de LL. quibus igitur DD. in praxi versatissimis major adhibenda fides, quam uni vel alteri recentiori, qui unanimem, tam Catholicæ Doctrinæ, quam acatholicæ Sectæ Doctorum calculum esse sustinet, quod bona allibrata, seu pro pendendo Principi tributo registrata, quam primum ad Ecclesiam transeant, ipso jure eximantur. & perinde sit, ac si illa non essent registrata, quo ad acquirentem; id quod affirmare pariter citatur Klock de Contrib. cap. 12. n. 48. Taceo innumeros textus juris Civilis aperte no-* 26

bis faventes *auth. item prædium Cod. de SS. Eccl. l. de his Cod. de Episcop. & Cleric. l. ult. Cod. de exact. trib. lib. 10. quia adversarii, & in specie Panoplia cit. loc. n. 33. eos parvi faciunt, cum in materia pertinente ad forum Canonicum legum Civilium dispositiones sint merè inutiles, præsertim si in præjudicium Ecclesiæ vergeant, sed falso hic iterum, uti sapius, laborat supposito, quod tendant in præjudicium Ecclesiæ, cum potius favorem ejusdem concernant.*

Superest nunc ut hanc meam opinionem ab adversariorum insultu vindicem, 27
igitur ad objectionem. I. C. ant. & N. consequentiam. Falsum enim est tributa antiquitus pendenda, à Principe exigenda titulo jurisdictionis, sed ut ipsa ratio *cit. & superius specialiter notati Canonis 22. caus. 23. q. 8. sonat: quia nos tueri, & defendere debent.* In cujus tutela & defensionis compensationem, merito tributa saltem antiqua pendenda possent. Dein aliud adhuc jus suffragatur Principi, nimirum Titulus oneris realis, quod onus cum ad omnes possessores, sic etiam ad Ecclesiam transibit, licet Prædia ex alto Principis Dominio, (in tantum) exeant. Pulcherrimam hinc instantiam dat Anatomia *cit. q. 3. n. 13. sicut servitus non potest ab initio constitui nisi à Domino rei, suo Dominio subjactæ, sic neque tributum, titulo jurisdictionis imponi potest prædiis aliis, quam quæ supremo Principis Dominio subjacent, ergo etiam quemadmodum servitus semel constituta, & prædio, vel fundo semel annexa semper perseverat, & ad quoscunque transit possessores, licet res exeat dominio constituentis; sic etiam tributum, ut ut titulo jurisdictionis prædio impositum eique ut onus maxime reale annexum transibit ad quoscunque possessores, licet prædium desinat esse obnoxium Dominio imponentis, uti hic contingit si fundus transferatur in Ecclesiam, prob. sequelam. ideo prius in servitute obtinet, quia Constituens servitutum jus habuit rem suam onere hoc perpetuo obligandi, sed etiam Princeps jus habet rem subditi vi Domini sui Civilis, & alti, onere perpetuo obligandi, exigente id utilitate publicâ, sic Princeps hac urgente certæ domui onus va-*

let imponere, ut ad manum perpetuò habeat certa instrumenta, quibus ortum v.g. incendium cohiberi possit &c. ergo, si unum onus reale transeat, transibit etiam alterum, aut iterum exspecto manifestam disparitatem. Adductum S. Pauli textum maximè revereor sed doleo, quod pro adversariis non militet, cum solum loquatur de iis tributis, quæ exiguntur titulo jurisdictionis, & solvuntur titulo subjectionis.

28 *Ad Confirmationem* R. 1. cit. l. 85. §. 1. ff. de R. J. esse contra adversarios, cum sic sonet, *non est novum, ut qua semel utiliter constituta sunt, durent, licet ille casus exstiterit tempore, à quo initium capere non potuerunt?* Quid hoc textu clariùs, quid apertius ad rem nostram? R. 2. retorquendo. quando dispositio ad eum casum venit, à quo incipere non potuisset prior dispositio cessat cit. l. 98. ff. de V. O. sed quando alter conjugum incidit in amentiam, Matrimonium in eum statum venit, à quo incipere non potuisset, ergo cessat. item sed quando uxori supervenit arctitudo, aut impotentia perpetua Matrimonium ad eum statum venit unde incipere non potuisset, ergo cessat. Rursus: sed quando mala fides supervenit præscriptioni jam completæ, præscriptio venit in eum statum, à quo inchoari non potuisset, ergo cessat &c. superi! quales consequentiæ? aut admittendæ hæ sunt à Panoplia, si argumentum suum indistinctè procedere existimet, aut assignandæ erunt differentiæ, quæ & nostro casui deservient: & sic tota difficultas objicienti restat, R. 3. deveniendo ad ipsum text. in l. 98. ff. de V. O. qui sic habet: *etiam ea, qua rectè constiterunt, resolvuntur cum in eum casum reciderunt, à quo non potuissent consistere.* Eum sic distinguo: resolvuntur, si perseverantia consistentiæ dependeat à negatione casus illius in quem recidunt, tanquam à Conditione C. si non ita dependeant N. fundamentum hujus distinctionis non tantum demonstrant exempla superius allegata, sed & id ex jure ipso desumitur. Legatur namque §. 14. Inst. de legat. ubi sic habetur: *si Creditor debitori suo, quod debet legaverit, inutile est legatum, si nihil amplius per legatum habet: quod si in diem, vel sub conditione debitum ei purè legaverit, utile est legatum propter representationem, quod si vivo testatore dies venerit, vel conditio extiterit, Papinianus scripsit utile esse nihilo minus legatum, quod & verum est, non enim NB. placuit sententia existimantium, extinctum esse legatum, quia in eam causam pervenerit, à qua incipere non potest.* Eccè? clarè hic insinuatur data doctrina, ideò enim legatum adhuc valet, quia non dependet à negatione statûs, in quem reicindit tanquam à Conditione: *nisi debitum purum fuerit*, sicut nec valor matrimonii dependet ab hac conditione, *nisi alter in furorem inciderit: nisi conjugum impotentia supervenerit &c.* sic etiam jus exigendi tributa antiqua à prædiis Ecclesiasticis non dependet à negatione statûs illius, à quo incipere non potuisset, nec à conditione: *nisi fundus iste è Dominio meo exierit.* Quam Conditionem impositioni tributorum inesse gratis, & sine ullo fundamento asserit Panoplia; quo enim jure? econtra, si perseverantia consistentiæ cujusdam actûs dependeat à negatione statûs contrarii tanquam à Conditione, utique evanescet actûs. Uti patet in testamento eo enim, ut ut ritè condito, si testator patiatur capitis diminutionem

tionem, dispositio illus corrumpit, cum illa dependeat à negatione capitis diminuti, & ab hac conditione: *nisi testator passus fuerit Capitis diminutionem*. Sic etiam in *cit. l. 98. ff. de V. O. fundo à Domino alienato statim evanescit stipulatio*, additâ ratione per ipsum *text.* quia hujus stipulationis valor pendebat à conditione: *nisi fundus alienatus fuerit*, & stipulantis esse desierit, cum nemo alteri possit stipulari. Unde verò dignoscendum veniat, an dispositio facta pendeat à negatione statûs contrarii? generalis regula vix poterit statui, sed id desumetur, aut ex jure, aut ex sententiis DD. aut ex ipsius rei natura.

Ad II. rationem: r. omnes istos *text.* adductos, aut aliâs adduci solitos, parùm roboris adversæ sententiæ adjicere. Videamus singulos; & quidem *cap. 1. de Immunt. Eccl. in 6.* tantùm de tributis novis, & non de antiquis loqui in confesso est. P. Wagenreck. *in cit. cap.* cum *textus* utatur verbo: *imponere*, quod secundùm omnes est terminus novi censûs exigendi significativus. *Nec obstat*, quod ibi S. Pontifex fecerit distinctionem inter bona jam acquisita & priûs acquirenda, sicque innuisse videri possit neque de acquisitis tributa antiqua exigenda esse. Non enim video, quâ probabilitatis specie asseri valeat, per hoc S. Pontificem voluisse prædia etiam à tributis antiquis libera esse, quòd dicat Ecclesiasticis prædiis *acquisitis, & acquirendis imponi non posse tributa* (hoc est nova) an per hoc innuit etiam exigi non posse antiqua? Neque etiam sufficienter capio, quòd Panoplia *capitulum* hoc intelligi velit de casu, quo Judices sæculares exigebant ab Ecclesiasticis prædiis tributa, quæ ante translationem in Ecclesiam Principes ab iis jam perceperant. Legi enim istud, & re-legi, nec in eo hunc sensum (nisi verba extra Rhombum torquere vellem) indagare potui, sic enim sonant verba S. Pontif. Alexand. IV. *Sanè intelleximus, quod in regno Francia, Communia: scabini, sive Consules &c. molesti sint nimium Ecclesiis super pluribus & infesti, & inter cetera nituntur, & student, ut illius collectas & tallias, & alia hujusmodi eadem Ecclesia, pretextu bonorum qua acquisiverunt, tribuant, & solvant, vel extrâ manum suam ponant hujusmodi acquisita. Volentes itaque &c. decernimus non licere iis &c. tallias vel collectas, sive exactiones quascunque Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis imponere, vel exigere ab iisdem &c.* quis ex hoc *textu* colliget S. Pontificem loqui de tributis antiquis? certè citiùs ex pumice scintillam, quàm ex illo absurdum hunc sensum elicies. Sic etiam *Auth. item nulla Cod. de Episcop. & Cleric.* de impositione novorum tributorum agit, quod & ipsum agnoscit Panoplia *cit. loc. n. 3. in fin.* attamen adjiciens privilegium hujus authenticæ à Frederico Imp. concessum amplè esse interpretandum, partim quia versamur in causa religionis *per. leg. sunt persona ff. de relig. & sumpt. fun.* partim quia verba ejusdem ob generalitatem suam tam ad nova, quàm antiqua tributa extendi possunt, *per cap. quia circa. de privileg.*

Sed vehementer fallitur hic Author. nam etsi privilegium summi Principis, si nulli inde præjudicium accrescat, sit latissimæ interpretationis. *per cap. 16. de V. S.* ibi: *beneficia Principum sunt interpretanda largissimè*, illud tamen extendi nequit ultrâ proprietatem verborum, ut habet Comm. DD. *ad tit.*

Decret. de privileg. & excessib. vide Clariff. P. Pichler n. 17. id quod in casu nostro fieret, si cit. authentica etiam de antiquis oneribus intelligi deberet, cum ibi mentio fiat de impositione, quod verbum, secundum dicta, solummodò denotat exactionem novorum tributorum; dein, gratis concessio constitutionem hanc etiam de tributis antiquis intelligendam esse, quæro anne potuerit Imperator privilegium tale Ecclesiis atque Clero concedere? in maximum successorum suorum aliorumque Principum detrimentum? vid. *Anatom. cit. Q. 3. obt. ult in f.* Prætereò alios clarissimos juris Civilis textus, qui meritò huic authenticæ opponi possent, si eam, quod nunquam fiet, etiam de antiquis tributis disposuisse evinceretur. Cæteræ adductæ LL. eandem, quam priores, recipiunt interpretationem; cum ejusdem cum aliis sint farinæ. Nec erat opus, ut immunitas Ecclesiastica & Clericorum à sæculari jurisdictione exemptio tam fusè & protractis ex omni angulo hunc in finem textibus, à P. Ant. Söll demonstraretur. Quia nemo nostrum fuit, qui eam in controversiam traheret, aut sententiam foveret illi præjudiciosam. Probari debuisset, per exactionem tributorum antiquorum lædi immunitatem Ecclesiasticam; sed hic Rhodus, hic salta,

- 31 *Ad III. rationem N. M. & probat.* Ant non enim cessat hic tota ratio debitæ tributorum solutionis; licet enim deficiat titulus jurisdictionis, subintrant tamen alii, defensionis scilicet & juris realis Tituli, uti fusiùs *supr. ad solut.*
- 32 *obt. 1.* demonstratum est. *Ad Confirmat. I. N. Conseq.* differentiam hanc assigno, quod tributa nova imponantur quidem prædiis principaliter sed tamen etiam personis propter prædia tanquam onera mixta, & hinc involvant, quandam titulum jurisdictionis in imponente, & subjectionis in solvente, qui re pectu Ecclesiæ sæculari Principi desunt, in exactione vero tributorum antiquorum, hi tituli neutiquam interveniunt, cum ea solummodo præstentur, ut onus merissimè reale; *nec officit*, quod ad horum impositionem æque necessarius fuerit titulus jurisdictionis, quàm ad novarum. R. Enim licet impositio ab hoc titulo in fieri dependerit, non tamen in conservari inde dependet, sicut servitutis impositio in fieri quidem dependet à Dominio constituentis, non tamen in conservari, cum ad quoscunque successores transeat. *Ad confirmat. II.* Memini aliquos, in specie Anatomiam D. Glettle *cit. loc. n. 17.* negare Ant. edquòd S. Pontifex non possit alteri auferre jus suum quæsitum, cum neque juxta adversarios id possit respectu onerum à privato, titulo pacti vel reservationis, prædiis impositorum, & ubi hoc concesserint adversarii, iis sic instaret: potuit id S. Pontifex: ergo de facto fecit cum & hoc conduceret Ecclesiæ, si Salus ejusdem in magno bonorum cumulo consistat: *si Argumentum prius Urgeas:* potuit S. Pontifex bona Ecclesiastica eximere à jurisdictione sæculari, ergo etiam à tributis, negat iteratò tibi anteced. *Anatomia cit. loc. n. 17.* afferens hanc exemptionem non venire à voluntate S. Pontificis, sed à spontanea Principum cessione, qui, dum permittunt bona transire in Dominium Ecclesiæ, sponte, suà se jurisdictione abdicant.

- 34 Verum ut ut Doctrinam hujus Authoris, certè non vulgarem, suspiciam, & venerer

venerer, responsio tamen hæc mihi videtur aliquo modo suspecta esse, & Authoritatis Pontificiæ derogatoria unde omnibus potius viribus contendo, S. Pontificem potuisse bona etiam ab antiquis tributis eximere, si id voluisset: sed nego, & pernego quod is id de facto voluerit, neque enim expressam esse hanc ipsius voluntatem, sufficienter demonstrari potest, neque eundem id voluisse prudenter præsumi. Prius patet; posterius sic evinco: si Ecclesia majus inde damnum quàm commodum sentiret, tunc prudenter præsumi nequit, S. Pontificem voluisse eam à tributis antiquis eximere; sed Ecclesia majus inde damnum sentiret, quàm commodum ergo &c. *maj. este videns. min. prob.* planum est, quod si Ecclesia neque ex prædiis, quæ antiquitus tributa Principis arario præstiterunt, debita onera pendere vellet, Principem, aut apertè renisurum esse, nè in maximum sui detrimentum talia bona à subditis in Ecclesias transferantur, aut certè, si erga Clerum reverentiùs & alias magis politicè ageret, varios undequaque prætextus expiscaturum, quibus emergens sibi inde damnum refarcire: alienationis in Manus mortuas prohibitionem colorare, vel etiam S. Pontificem in sua vota pertrahere valeret, neque plures in territorium suum Ordines recepturum esse &c. Sed hæc omnia in manifestum cedunt Ecclesiæ præjudicium ergo &c. Subdolè hic agere arguor à R.P. Ant. Söll. *in cit. sapius Q. 2. n. 188.* nam judicare, quid oblit vel profit Ecclesiæ, non competit laico, minus negare; ut bona non donentur Ecclesiis &c. cum *in cap. non minus & c. adversus* decernatur constitutiones quascunque contra Ecclesiasticam immunitatem promulgatas, inanes ac irritas esse, ac nullo tempore valituras &c. Sed in abyssum difficultatum me demitterem, si huic doctissimi Authoris replicæ accuratiùs reponere vellem; Quæstionem enim discutere fas esset, magnis animorum motibus agitatam, & alias satis odiosam. de qua manum lubentissimè tollo; sufficit jus mihi esse examinandi, quid rerum eventus (an is juri semper foret consentaneus, aliis judicandum relinquerem) Ecclesiæ boni afferret, si ea à præstatione Tributorum antiquorum se subtrahere conaretur.

Quòd autem S. Pontifex exemptionem etiam à tributis antiquis, Ecclesiasticis prædiis absolutè largiri potuisset & facta bonorum Ecclesiasticorum à jurisdictione sæculari exemptio ipsi attribuenda sit, opinio mihi videtur magis Catholica, cum ex hac parte certum sit, eandem maximè SS. Pontificum Voluntati in acceptis referendam esse, ex altera verò, vix sit conceptibile eandem à spontanea Principum cessione ortum suum trahere. Imprimis enim videtur Anatomia hoc in puncto rideri ab istis DD. qui contendunt exemptionem bonorum Ecclesiasticorum à jurisdictione sæculari immediatè ex jure divino procedere, cui sententiæ subscribunt, quam plurimi cum P. Engel *ad tit. de Imm. Eccl. n. 23. König ibid. n. 20. Layman. Theolog. moral. l. 4. tr. 9. cap. 8. n. 1.* & alii, quam Quæstionem mei instituti non est discutere, eamque fusiùs examinatam avidus lector videre non dedignabitur apud Clariss. P. Schmalzgr. *ad cit. tit. de Imm. §. 1. n. 56.* Rationes autem contra extravagantem hanc Anatomiam sententiam hæc esse possent.

I. Si ista exemptio tantùm proveniret à spontanea cessione Principum,

E 3

tunc

tunc sequeretur eosdem efficere posse, ut, ubi jure suo cedere nollent, bona etiam si transfirent in Ecclesiam, tamen adhuc subiecta maneant jurisdictioni sæculari, sed hæc admittere velle, videtur valde absurdum, cum tot excommunicationes & veneranda Sedis fulmina in hanc opinionem lata sint, ergo dici nequit, quod exemptio ista proveniat ex spontanea cessione Principum *prob. Maj.* ex ipsis Anatomia verbis, quæ *cit. loc.* sic discurret: *Princeps dum concedit bona illa in Dominium Ecclesie transfire, censetur etiam concedere ea omnia que sunt annexa huic concessioni, & hinc etiam exemptionem à sua jurisdictione, cum Ecclesia sua jurisdictioni non sit obnoxia.* Jam sic: si censetur etiam exemptionem concedere Princeps; potest is absolutè nolle hanc concedere, ergo etiam potest efficere, ut etiam si bona in Ecclesiam transferantur, suæ tamen jurisdictioni adhuc maneant subiecta.

Prævideo quid mihi responsura foret Anatomia, si datum esset propinquius cum ea congruere; *negaret enim sequelam, probationem distingueret:* censetur etiam concedere quæ sunt annexa & sic etiam exemptionem; ita tamen ut ei adhuc liberum sit, dato consensu in translationem bonorum, reservare sibi in iisdem jurisdictionem, *negaret:* ita tamen, ut ad hanc exemptionem concedendam per consequentiam necessitaretur, *subdistingueret:* Necessitate antecedente *negaret,* necessitate consequente *concederet,* sicut ei ergo liberum esset denegare consensum ad hoc, ut bona transferantur in Ecclesiam, sic etiam posito hoc consensu, necessitaretur ad consentiendum in exemptionem necessariò consensui huic annexam, sed hæc necessitas tantum est consequens, hoc est talis necessitas, quæ ex parte ante per actum contrarium liberè potuisset impediri. Responsio hæc ubi daretur, jam inerior esset, neque hæresi adeo propinqua, cum non diceret, exemptionem immediatè venire à cessione *spontanea,* sed tantum mediatè, quatenus scilicet necessariam hanc Immunitatis (utique à S. Pontifice provenientes) cum bonis Ecclesiasticis connexionem impedire posset per negationem sui consensûs in alienationem bonorum; quod tamen pugnat cum ejus doctrina cum in *cit. verbis* dicat: *censetur concedere omnia ea, que sunt annexa, & sic immunitatem tò censetur enim importat aliquid plus, quàm mediatam concessionem,* dein incerto hæc responsio adhuc laboraret supposito: An Princeps alienationem bonorum in Ecclesiam per negationem sui consensûs impedire possit? quod utique juxtà adversarios in æternum non evincetur.

II. Ab ipso admitti debet S. Pontificem in exemptione bonorum Ecclesiasticorum jurisdictione sæculari tantum tamen potuisse, ut Princeps ponendo consensum in alienationem bonorum etiam debeat necessariò consentire in eorundem exemptionem (aliàs sequeretur absurdum in priore ratione allatum) ergo etiam à pari, potuisset S. Pontifex facere, ut Princeps ponendo consensum in alienationem, etiam consentiret in exemptionem prædiorum à tributis etiam antiquis; utique hic Anatomia negabit consequentiam, sed solidam non exhibebit differentie rationem; si enim unum potuit, cur non etiam alterum? Et hæc data ab ipso ad II. Confirmationem responsio inde magis adhuc

huc mihi displicet, quod ad salvandam nostram sententiam minimè fuerit necessaria, sed planè impertinens, uti surpa vidimus.

Quartæ rationi in simili casu obviat Balthas. *cit. Tr. de oper. subdit. cap. 8. vers. Neque obstat 2. pag. m. 157.* & D. Clingensperg. *cod. Tr. sub distinctione, mutatione personæ mutatur conditio rei & sequitur qualitatem possessoris, si qualitas rei sit tantum personalis & non realis C. si sit realis, quæ ex sua natura ad quoscunque possessores transeat N. Joann, Köppen. Decis. 61. n. 4. Pistor. vol. 2. conf. 9. n. 49.* cuiusmodi qualitas absque dubio sunt tributa realia. Et certè si dictum brocardicon, sensum adeo generalem reciperet, sequeretur pariter, Nobiles sibi rustica prædia comparantes, immunes fieri omnibus oneribus ac servitiis, quibus illa obligata fuerant. Quod est; contra communem de qua testatur *cit. Balthas. c. 8. p. m. 149, eamque tenent Besold. p. 3. Conf. 233. n. 58. Klock de contrib. c. 14. sect. 1. n. 18. Knichen de vestit. pact. p. 2. c. 3. n. 88. Matth. Steph. de Nobilit. l. 1. c. 6. n. 39. Confirmationem* rursus disting. si eadem subsit ratio in accessorio, quæ est in principali C, si reperiatur diversa ratio N, tunc enim fallit dictum brocardicon uti notat P. Vincent. de Castro-Franco *in Compend. declarat. reg. Jur. in 6. reg. 42. cap. 2. n. 3.* aliàs plurima inde absurda sequerentur, ut; religiosos ejectos, cum adhuc teneantur ad servanda tria substantialem religionis suæ, etiam ligari legibus illius particularibus contra comm. cum Dianap. 3. *Tr. 2. resol. 160. Laym. l. 4. Tt. 5. c. 13. q. 2.* Item Clericum ad Ordines sacros ex metu gravi injusto promotum, teneri ad Castitatem & alios Ordinum effectus. Aliter adhuc respondet Balthas. *cit. loc.* axioma hoc tum demum locum sibi vendicare, si accessorium & principale sint inter se connexa ac separari nequeant; prædia verò non adeo adhærent personis, ut de earum immunitate quid participant. Et alia pariter ratio subest eximendi personas Clericales etiam antiquis oneribus, quæ tamen in prædiis earundem non militat. 36

Ad V. *N. sequel.* ex hoc enim, quod potestati sæculari prohibeatur, imponere tributa prædiis Ecclesiasticis, aut ea exigere, planè non sequitur prohibitum iis pariter esse, exigere ea, quæ jam antiquitus pensa fuerunt. Primum namque denotat jurisdictionem & subjectionem, non secundum. Paritatem quæ de servo additur, admitto, si ita proponatur; sicut servus eo ipso liberatur ab onere servitutis, quod SS. Ordines suscipiat, sic etiam fundus hoc ipso liberatur à jurisdictione principis sæcularis, quòd in Ecclesiam transferatur. Conceditur hic totum. Nego autem paritatem sic propositam; sicut servus hoc ipso, quod suscipit Ordines, liberatur ab onere servitutis, adeo etiam, ut Dominus pristinus non valeat ab eo onere antiqua exigere; ergo etiam fundus liberabitur, ut ex eo antiqua tributa pendampliùs non debeant. Manifestam differentia rationem hanc do: quòd in servo ideo hoc non procedat, quia Dominus prior ista onera necessariò exigere deberet titulo Domini, quòd extinctum est, nec ei suffragatur titulus oneris, quia onus, quod habet servus præstandi servitia, incompatible est cum SS. Ordinibus tam ex *dispositione juris in Can. 20. distinct. 54. quam ex decentia naturali;* econtra onus reale tributorum inhærens prædiis non est incompatible cum exemptione Eccle-

Ecclesiarum, quia non vergit in detrimentum Ecclesiæ ejus re Immunitatis, neque pugnat cum decencia ejusdem, ut patet consideranti. Dein neque putem de seruo id adeò distinctè verum esse, uti proponit P. Schmalzgr. *cit. loc.* nam si ex hac Ordinatione Domini damnum subsit, id utique eidem compensandum est; aut etiam, si invito vel ignorante Domino ordinatus sit, neque ordinans, si eum scivit esse servum, Domino satisfacere, neque Ordinatus, si nequiter se finxit liberum, alium substituere possit, Ordinatus in pristinam servitutem reducendus est *text. & DD. in tit. Decret. de servis non ordin.* unde præclarum pro sententia mea argumentum formari possit.

37 Et ea quæ hactenus de bonis Ecclesiasticis disputavi, eò facilius ad bona Clericorum Patrimonialia extendo, quò Majorem adhuc in his, quam in aliis tam juris, quam æquitatis rationem deprehendam. *Ratio Juris* quidem præter cæteras in priori quæstione deductas hæc militat efficax, quod exemptionem bonorum Patrimonialium à tributis antiquis neque Jus Canonicum, neque bonum Ecclesiæ, neque prærogativa & eminentia status Clericalis exagat. *non jus Canonicum*, quia hujus dispositionem nullibi inveni. *non bonum Ecclesiæ* quale enim istud si Clerici Patrimonialium sint plenè Domini? de iis pro libitu disponant? non solum his contenti, sed etiam superfluorum beneficialium Dominium sibi astruant, obligationi ea expendendi in sacros usus jam dudum præscriptam esse contendant, eamque anxius, & conscientiosius relinquentes? *neque denique eminentia status?* eum qua non repugnat tributum solvere de bonis merissimè temporalibus, Ecclesiæ non incorporatis, sed pleno adinstar laicorum jure possessis? Quorsum faciunt verba S. Ambros. relata *in Can. si tributum 27. caus. 11. q. 1.* Clericos, ut communis fert sensus, alloquentis: *si enim censum filius DEI solvit, quis tu tantus es? qui non putes solvendum.* *Æquitatis* autem totius summa in hanc sententiam propendet. Finge enim laicum innumeris ditionibus spectabilem, fundis, bonisque immobilibus præpotentem, ad sacrorum Ordinum adita volare, quantum per hoc non accresceret Reipublicæ politicæ damnum, quantum ærario Principis dispendium, si ea bona unico ictu immunitatem induerent, tributum recusarent? finge integram Dynastiam jure majoratus: fide commissi, ad Clericum pervenire, an per hoc illico tributis eximetur? insurgeret contra hoc Princeps. Nec immeritò. Dissentiente rursùm cum aliquibus Clariss. P. Jacob. Spreng. *in cit. Hierarchia Ecclesiast. Quest. 4.* existimante, quòd (cum *Bulla Cænæ Can. 18.* ab oneribus Laicalibus eximat bona *Ecclesiarum*, & *Clericorum*, hæc autem bonorum distinctio ostendat, per bona *Ecclesiarum* intelligi Ecclesiastica per bona *Clericorum* ipsa patrimonialia) etiam bona patrimonialia eximantur à tributis *antiquitus pendi solitis*. Sed probari prius debuisset, bona Ecclesiarum iisdem esse immunita, quod, cum factum hucusque non fuerit, nec hoc, ut putem, evincetur; *Bulla Cænæ* de iis solum oneribus loquitur, quæ tendunt in præjudicium Immunitatis Ecclesiasticæ; igitur in antiquitus pendi solitis locum non habet, uti abundanter me demonstrasse existimo & omnibus pateat necessum est,

est, cui arbitrari lubet animo liberiore nec partium studiis occupato. Quam- 38
quam tamen bona Clericorum etiam patrimonialia à novorum tributorum im-
positione immunita esse, in apice juris melius defendi posse existimem cum P.
Engel *tit. sep. cit. de Imm. n. 24.* König *n. 21.* Reiffenstuel *n. 248.* Layman.
l. 4. tr. 9. Suarez *l. 4. de Immun. cap. 24. n. 4.* Clarissimis PP. Pichler
ad cit. tit. n. 30. Schmalzgr. *n. 26.* qui integrum adhuc recenset
DD. Catalogum.



QUÆSTIO III.

*Utrum Clerici non teneantur concurrere, ad sumptus
operum publicorum, si id exigat utilitas aut necessitas communis?*

S U M M A R I A.

1. 2. 3. Clerici non tenentur concurrere ad utilitatem publicam, ex qua
Commodum non sentiunt 4. quod si tamen sentiant, an teneantur? contro-
vertitur. 5. 6. 7. 8. notatur exorbitans distinctio & sententia R. P. Ranbeck.
9. ad 15. adducuntur ejus fundamenta, 15. 16. sententia hac à TT. CC. & Legistis
communis rejicitur. 17. adfertur alia adhuc distinctio R. P. Schmalzgr. &
communis alias opinio 18. 19. quâ tamen etiam neglectâ indistinctè statuitur
Clericos suo modo ad concursum teneri, 20. 21. 22. 23. & hoc probatur 1. ex
equitate naturali, solvunturque 2. argumenta, quæ contra istam equitatem vi-
brat R. P. Ranbek 24. 25. probatur ex Titulo exigendi concursum, it. ex jure
civili 26. 27. ex consuetudine generali, ipsis S. R. I. recessibus firmatâ eamque
rationabilem esse evincitur. 28. ad capp. non minus & adversus de Imm.
afferuntur tres DD. responsiones 29. 30. negatur concursum exigì à Principe
Titulo jurisdictionis 31. dilucidatur, quâ ratione Laici sint primaria membra Rp.
profana 32. explicantur verba text. cit. laici humiliter & devotè recipiant
cum gratiarum actione 33. ostenditur Consensum Episcopi aut S. Pontificis
non requiri.

AD uberiores Quæstionis hujus intellectum præmitto, eam non pro-
cedere de casu, quò impensæ emergerent in opera etiam publica ex-
pendendæ, ex quibus nulla in Clericos redundaret utilitas v. g. si ædi-
ficari

- ficari deberent domus theatrales: palæstritarum Gymnasia, aut alia in Bombar-
 darum telorúmque v. g. exercitium, exstruenda ædificia, ad quorum sumptus
 Clericos planè immunes esse, communis habet sententia, sicut & eosdem à con-
 cursu exemptos esse arbitror, si communis contributio ob favorem publicum
 instituta, solummodò tangat Principis privatam utilitatem, & non communita-
 2 tem, seu publicum commodum Patriæ. v. g. si ob adventum Imperatoris dona
 deberent fieri: si Principis filia alteri daretur nuptui, & dos pro ea exigeretur:
 si propter Nationalem filii extraordinariæ solemnitates celebrandæ forent, si
 denique collectæ communes merissimum Principis commodum, & domus
 ejusdem splendorem concernant, & alia plura quæ assignantur ab Azor *Tom. 3.*
 3 *lib. 5. cap. 19.* Illust. Baron. Schmid *controv. 20. n. 19.* quorum omnium ratio-
 nem hanc assigno, quòd æquitas non patiat, ut Clerici deterioris sint condi-
 tionis, quàm laici, sed essent deterioris, si ad dictos casus pariter contribuere
 deberent ergo &c. *prob. maj.* Ecclesiæ, & Clerici soli tenentur ad collectas
 Episcopales, uti synodaticum, Cathedaticum in Reverentiam Cathedræ, sive
 sedis Episcopalis præstandum: Ad subsidium Charitativum, sive moderatum
 auxilium justa de causa ab Episcopo petatum: ad procuraciones in visitationi-
 bus: quartam decimationum, quartam mortuorum, sive portionem Cano-
 nicam &c. de quib. vid. Canonistæ *ad tit. Decret. de off. judic.* ergo si pariter
 tenerentur concurrere ad collectas in favorem Principis laici impositas, deterio-
 ris essent conditionis, quàm laici, ut patet, cum duplicia haberent onera.
 4 Solum igitur controversiæ punctum in hoc situm est, an non teneantur
 concurrere in iis casibus, qui in gratiam communitatis contingunt & unde simul
 Clerici utilitatem communem percipiunt?
 5 Idem qui in priori controversia Antagonista mihi existit acerrimus.
 R. P. Ranbek in *cit.* sæpius *Panoplia* mitiori pariter hic chorda non sonat, qui
disputat. 3. cap. 5. §. 1. n. 1. & seqq. cum aliquot aliis distinctionem facit inter
 opera ea, quorum utilitas æquè principaliter clericos tangit & laicos, ac inter ea,
 quorum utilitas clericos tantum remotè, indirectè, & per accidens solúmque
 per aliquam redundantiam, laicos vero proximè, & principaliter respicit. Ad
 priorem classem *n. 7.* reducit invasionem hæreticorum, depopulationem agro-
 rum communium, refectionem Pontis communis *ducentis ad prædia Clerico-*
rum, reparationem fontis vicini, *quo Clerici aquas suas hauriunt*, expensas fa-
 6 ciendas in *communia Clericis* pascua &c. Ad posteriorem vero *n. 6.* salaria mi-
 nistrorum publicorum, debita reipublicæ utiliter contracta, restaurationem mu-
 rorum, fossarum, vallorum, ornatum viarum publicarum refert atque indi-
 stinctè concludit: si ratione posterioris hujus classis operum expensæ præten-
 dantur, &c. Clericos non obligari, ne quidem in subsidium, casu quo laicorum
 facultates non suppeterent, *ex ratione fundamentali*, quia verum non est dice-
 re communem clericis, & laicis tunc necessitatem, vel utilitatem accidere, cum
 ibi proximè & principaliter sola laicorum utilitas controvertatur, Clericorum
 verò solummodò per redundantiam; jura autem Canonica velint necessitatem,
 & uti-

& utilitatem communem ad hoc ut Clerici succurrant *cap. adversus de Imm. Eccl. ibi: ad relevandas communes utilitates, vel necessitates.*

Si vero prioris classis opera emergant, rigidam, & contra torrentem interpretum vix non novam excogitavit sententiam, cum ad hoc, ut Clerici teneantur ad ea pro rata concurrere, pro conditionibus essentialibus sequentia requirit: I. Ut ærarium publicum (ex tributis, & sudore laicorum erectum) his utilitatibus communibus impendatur: II. Ut non sufficiente hoc ærario singulis civibus pro rata imponantur collectæ, quod est contra communem TT. & CC. videatur Suarez *lib. 4. de Imm. Eccl. cap. 25. n. 15.* cujus tamen famigeratissimi viri sententiam, iniquam & SS. Canonibus adversam esse præsumit asseverare *cit. §. 2. n. 5.* & ubi hæc iterum oneri ferendo impares essent. III. Denique admittit Clericorum subsidium implorari posse, sub his tamen iterum conditionibus: ut monstratis laicorum facultatibus Episcopus cum Clero deliberet an & quantumtribuendum sit, & insuper S. Pontificis consensus aecedat. §. 4. Quibus non observatis laicos Principes, concursum à Clericis postulantes, excommunicationi in bulla cænæ S. Pontifici reservatæ subjicit, eosdem infames, Sacrilegos, mortalis noxæ reos, & ad restitutionem quàm maximè obligatos esse decernit. §. 5. n. 31. & hanc suam sententiam in scholis meritò damnandam (ad concitandas quippe in R. P. turbas aptissimam) & authoritate extrinsecâ quo ad punctum posterius, omninò, quod scio, destitutam, citatus Author (vir aliàs solidâ jurum peritiâ conspicuus & de universitate Salisburgensi benè meritus) speciosis variis & conquisitò undiquè fuce illinitis rationibus nititur colorare. Ac quidem

I. Fundamentum ponit *in cit. cap. non minùs & cap. adversus de Imm. Eccl.* primum sic habet *nisi Episcopus, & Clerus tantum necessitatem, & utilitatem dispexerint, ut absque illa exactione ad relevandas communes utilitates, & necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment conferenda.* Alterum ita sonat: *Verùm, si quando fortè Episcopus simul cum Clericis tantam necessitatem, & utilitatem perspexerit, ut absque ulla coactione ad relevandas utilitates communes, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia duxerint per Ecclesias conferenda, prædicti laici humiliter, & devotè recipiant cum gratiarum actione.* Ex his textibus inquit clarè inferri suã requisita; nam cum Clerici non contribuant, nisi laicorum non suppetant facultates, certè ad nihil tenebuntur, si ærarium principis huic oneri sufficiat, aut si laici impositâ singulis speciali collectâ necessitatem communem propulsare, vel utilitatem comparare valeant. Adèd, ut non desint aliqui, uti refert Diana *tom. 3. tract. 2. de Imm. Eccl. resolut. 134.* qui certam quantitatem statuunt, quâ à laicis persolutâ clerici priùs ad concursum obligarentur; verba eorum hæc sunt: *tum primùm censendum est facultates laicorum non suppetere, quando seculares plùs contribuendo cogentur se illis privare, quæ quot annis necessaria sunt ad vivendum secundum convenientiam sui statûs.*

II. Fundamentum. §. 5. n. 8. sic proponit: laicis nulla competit jurisdictio in Clericos per *capit, Ecclesia S. Mariæ de c. institut. ibi: laicos carere jurisdictione*

jurisdictione quoad personas clericorum, & eorum bona & laicis super Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis nulla sit attributa facultas, quos obsequendi manet necessitas, non Auctoritas imperandi, ergo neque in publica necessitate vel utilitate poterunt collectare clericos, cum existens, utilitas, vel necessitas communis laicis non tribuat jurisdictionem in clericos. aliàs (uti quisdam argutè inferre sibi blanditur) pari jure inferitur: Quòd si quædam regio, provincia aut Civitas repentinà quâdam prematur necessitate, auctoritatem nacta sit ac potestatem in vicinam regionem, provinciam aut Civitatem sibi antea nunquam subditam;

- 11 III. Quamvis urgeat necessitas, vel utilitas communis, tamen Principes sæculares prædendere nequeunt, ut Clerici solvant tributa personalia, & mixta, ergo neque poterunt prætere, ut concurrant ad onera publica.
- 12 IV. Proponit n. 18. Laici principaliter & per se sunt membra Reipublicæ profanæ, & politicæ, sicut Clerici sunt membra Sacræ, & Ecclesiasticæ: igitur & per se subire debent onera, sicut per se clerici debent deservire Reipublicæ Ecclesiasticæ, & onera ejusdem portare. & nihil obstat (ait quidam recentior Canonista) quod Clerici sint Cives; sunt utique Cives, sed Cives speciali privilegio donati, Cives qui propriis legibus ac superioribus negantur: Cives qui partialem constituunt rempublicam, ab omni laicali jurisdictione exemptam & certè, si sub nova hac formalitate: quæ Cives ab ea gravari possent, nulla privilegia subsistent, ac omnis facilè eludetur immunitas. Sequeretur namque *primò*. confugam ad Ecclesiam extrahi ab illa posse, non quidem ut locus sacer est, sed ut pars territorii Principis. Sequeretur *secundo*, quascunque personas Ecclesiasticas ad judicium sæculare trahi posse ac judicari, quæ Cives. Sequeretur *tertio* excommunicationem Canonis non incurri à percussente Clericum, non ut sacro caractere insignitum sed ut Civem. Et si quæ sunt plura absurda. Quod autem hæc utilitas etiam indirectè clericos tangat, ipsis invidendum non est, cum id abundè per indefessas, quas fundunt preces, & opera spirituaia compensent. Quòd insuper Episcopus cum Clero integro, uti vult (nec sufficere contendit capitulum Cathedrale) deliberare debeat, iterum in *cit. textib.* expressum esse existimat. §. 3. n. 3. consuetudine tamen introduci posse admittit, ut sufficiat consensus capituli, vel deliberatio cum Consiliariis
- 13 Diocesani Consistorii habita. S. Pontificis etiam Consensum necessariò adesse debere clarè ipsi insinuant subiecta *cit. cap. adversus verba: propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur.* Nec quidquam ad rem faceret, si periculum imprudentiæ in casu particulari abesse videretur, puta, si planè notorium foret, facultates laicorum non suppetere, nihilo secius tamen adhuc requiretur consensus S. Pontificis, eo quòd leges fundatæ in præsumptione universali non cessent, licet in casu particulari res aliter se habeat, uti est communis Doctorum sententia *per l. 1. §. 1. ff. de min. vid. Fachin. lib. 10. c. 74.* ubi fatetur se uberiores hujus rei satis abstrusæ explicationem à quodam discipulo hausisse. Sed video ab isthac rigorosa adversarii nostri sententia

tia passim recedere [Canonistas, & Legistas à Canonum doctrina, quàm plurimum comendatos, & quidem.

I. à Panoplia avidis votis expeterem clariorem suæ divisionis in opera 16
quæ principaliter, inmediate, &c. laicorum tantum utilitatem, & ea, quæ simul directè clericorum utilitatem concernerent, explicationem; à subjectis enim ab ipso Exemplis regulam non licet depromere. Quid enim? nunquid salaria in Ministros Justitiæ expendenda, & Bonum ab istis proveniens etiam directè respicit Clericos? conquerrentur ii me hercule, si, dum laicos in foro! sæculari conveniunt, Justitia ipsis ad ad amissim non administraretur. Iterum nunquid debita à republica ex necessitate communi contracta etiam in immediatam Clericorum vergunt utilitatem? pone enim provinciam invadi ab hoste; ab eo omnibus supremam minitari ruinam, agros devastari, pone hoc in casu collectas non sufficere, sed integras pecuniæ summas ab aliis esse mutuandas, quid? nunquid hæc debita etiam in utilitatem Clericorum inmediate sunt contracta, qui alias è patria ejecti, bonis omnibus fuissent exuti? Iterum: nunquid reparatio fossarum: murorum &c Clericorum commodum inmediate spectat? Quid enim hostium assultus refrænabit, nisi civitas benè munita? relique muros solo æquator: præbe facilem hosti introitum, & experientur etiam Clerici, quid ex re eorum sit, civitatem suis mænibus, propugnaculis, & fossis non esse destitutam!

Meliùs adhuc cum Clariff. P. Schmalzgr. *ad tit. de Imm. n. 32. Laym. in* 17
*c. 4. eod. n. 51. Less. de J. & J. l. 2. c. 33. n. 25. distingueret P. Ant. Söll. in cit. sapius. Q. Q. Can. p. 3. c. 3. q. 6. n. 206. inter utilitatem, sive necessitatem, quæ respicit commoda totius reipublicæ, & Inter eam, quæ tangit commoda privatorum; si hæc ultima exoreretur, puta, si agrorum ripæ adversus fluminis impetum forent muniendæ, si aperienda fossa, ut aqua aliò derivetur, si ducendus rivus, quo prata irrigentur, si fodendus puteus communis, vel fons per Canales ducendus, concedit etiam clericos tribuere debere; si verò prima contigeret negat Clericos teneri, nisi approbante ipso S. Pontifice, & ità *per text. supra cit. tenent Suarez. Palao, Barbosa, Gonzalez, Pignatelli &c.**

Sed neque hæc distinctio omni ex parte me movet, cum non sit con- 18
ceptibile S. Pontificem Clericos magis exemptos voluisse, si utilitas privatorum commoda solummodo, quàm si universæ reipublicæ fecilitatem contingeret, cum utique bonum reipublicæ privatorum commodo præferri non tantum æquum sit, sed etiam juri confurmius; ideo satis probabilè mihi videtur 19
Clericos indistinctè teneri ad opera, & sumptus publicos pro rata impositos, si utilitas vel necessitas publica exigat, modò etiam, ut superius notavi in illos commodum inde redundet. Sententiam hanc, quam assensu suo dignantur Clariff. P. Pichler *ad cit. tit. de Imm. n. 35. Molina de J. & J. disp. Carolus de Grassis de effect. Clericat. effect. 3. n. 200. & seqq. D. Glettle in Anatomia leg. amort. quest. 6. per totam. Sic probò*

I. Quòd summa æquitas exigat Clericos ad instar laicorum justà pro- 20
portione contribuere ad ejusmodi opera quorum commoditate æque ac alii fruuntur, æquum enim est, ut qui sentit commodum, sentiat & onus *reg. 55. in 6.*

Sed Clerici æquè ac laici fruuntur commodo viarum, pontium, fontium, & huiusmodi aliarum utilitatum, ergo etiam aliorum ad instar ad incommoda, contributionem nempe sumptuum requisitorum tenentur. Contra hanc æquitatem detonare audio adversarium meum P. Ægid. Ranbeck. duplici hoc argumento *primum* est, quod nihil concludatur ex eo, quod æquitas naturalis in genere contrarium suadere videatur; cum multa valde consentanea sint æquitati, quæ tamen à jure improbata aliter observari debent, *sic* licet æquissimum sit, ut nemo cum alterius injuria locupletur *c. 48. de Reg. J. in 6.* aliud tamen obtinet in præscriptionibus utroque jure. *Sic* licet æquissimum sit, ut læso per contractum satisfiat, & tamen, si læsio non sit ultra dimmidium, decepto omnis denegatur actio: *Sic* licet æquissimum sit, ut dives ægeno succurrat, tamen jura neminem cogunt taliter egentem necessariò succurrere. *Secundum*, ita sonat. si te in tantum afficit æquitas, quid respondebis ad hoc? nunquid & nobiles Aulæ Ministri, Principum Consilarii, Doctores aliæque personæ sæculares in communi societate viventes, ut cives sentiunt communitatis commodum, & tamen vel de jure scripto, vel municipali ab iisdem oneribus exempti sunt? si his æquitas non obstet? cur quæso clericis, quos conditio statûs super alios evexit, & immunes à communibus oneribus voluit, hoc invideas? non erit jus Canonicam æquè potens ac Civile? &c. Idem etiam *in citanda Q. 6.* sed remissiùs, ideoque prudentius, objicit R. P. Söll.

21 Sed metuo ne prædictus Author epinicium sibi canat ante Victoriã, & pro præmiis sibi spondeat pericula. Cum apertus etiam Tyroni textus indicet *in l. placuit Cod. de jud. in omnibus rebus præcipuam justitiæ æquitatisque quam stricti juris rationem* habendam esse. Vid. pulchrè hic differens Fachin. *controv. l. 1. c. 3.* cum Ant. Perezio *in Codicis cit Tit. n. 9.* Si ergo pro hac mea sententia juxta propriam Authoris confessionem ipsa militet æquitas; nec contrarium expresso juris Textu evincatur (uti postea dilucidabitur) evidens sequela est, eandem obtinere fas esse. Quæ ex adverso apposuit, se ipsis ruunt.

22 Cum allatis namque Exemplis nulla ducitur paritas. Non cum primo, eo quòd negetur ab omnibus, vel minimam in præscriptione reperiri iniquitatem, & simul suppositum, præscribentem locupletari cum alterius injuria, & damno injusto, cum respublica vi alti Domini, quod habet in omnia bona subditorum præscribenti tribuat dominium rei alienæ ex quatuor istis notissimis rationibus, & hinc alterius jactura non est iniusta, sed justissima, uti resolvit integra DD. Phalanx cum Arnold. Rhat *tract. de præscript. M. D. Christoph. de Chlingensp. ad tit. 7. de usucap. quest. 2. ob. 3.* Vasquez *Illust. controvers. lib. 2. c. 52.* Clariff. P. Pichler *Decret. tit. de præscript. n. 15.* Magnif. P. Franc. Schmier *tract. de præscript. cap. 6. sect. 1. §. 1. n. 17.* & aliis ab his citatis *secunda paritas*. ideo non habet locum, quod licet de jure læso infra dimmidium justii pretii non concedatur actio, id tamen sic constitutum sit propter favorem publicum, & merè tolerantivè, ne tribunalia litibus scaterent, & hinc rectè negatur constitutionem illam esse iniquam, cum bonum publicum utique prævalere debeat bono privato, aliud namque est in foro externo solummodò actionem denegare, & aliud

aliud statuere, quod pars lædens alteri satisfacere non teneatur; si postremum jura vellent, ab iniquitatis nota vix excusanda forent, minimè tamen, si primum R. P. Ebbert. *controvers. select. controvers. 19.* Denique *tertia paritas* vagatur extra oleas; cum notum sit, quòd in extrema necessitate constituto, quilibet sub reatu gravis culpæ teneatur succurrere, & in foro utroque licitum sit ei furari, quantum indiget ad pellendam extremam necessitatem. Si vero non adsit talis extrema necessitas æquitatem nullam video, cur dives egeno succurrere debeat, eoquòd ratio status, & felicitas boni publici exigat, ut in personarum qualitate sit distinctio, & omnia ad chaos pristinum judiciorum redirent, si pauperi jus esset, à divite alimenta petere. Ad instantiam ab exemptione Ministrorum Reipublicæ petitam & imprimis neque allegatas personas, à collectis extraordinariis ob necessitatem, vel utilitatem communem indictis liberari esse; saltem eam libertatem meo judicio prætere non posse vi alicujus decreti, vel statuti generalis, quod iisdem intuitu Sacrorum operum quæ reipublicæ præstent immunitatem à tributis, & collectis tribuit, abstrahendo an eæ sint extraordinariæ, vel ordinariæ, quia statutum semper eò interpretandum est, ut minus recedat à jure communi Gaill *lib. 2. obs. 33. n. 9.* Jure civili verò certum est neminem à collectis extraordinariis excusari Ant. Perez. *Cod. de quib. muner. vel præstat. lib. 10. n. 2.* asserens, quòd respectu harum, nullum excuset dignitas, aut alia prærogativa, quæ aliàs solet muneribus eximere *leg. 6. Cod. de munerib. patrim. lib. 10.* ubi aliquis prætendebat hanc Immunitatem, quòd philosophus esset. Imo licet aliquis alleget desuper speciale privilegium, vel rescriptum Principis ab iis tamen non excusabitur, cum id censeatur quandoque ob importunitatem supplicantis esse concessum Perez *cit. loc. n. 3.* Unde hæc adversarii nostri declamatio rursus inutilis est, & allatam paritatem contra ipsum sic inverto: tales personæ, quæ habent Immunitatem generalem à Principe, vel jure ipsis concessam, tamen tenentur concurrere ad collectas extraordinarias ut probavi, quia vero simile non est eas comprehendi sub exemptione generali, ergo & à pari licet Clerici à jure Canonico habeant Immunitatem generalem à tributis, & collectis nihilominus tenebuntur ad extraordinaria, quia vero simile est S. Pontificem ea excipere non voluisse ob summam æquitatem, quæ vult incommoda ab iis sustineri, qui sentiunt commoda. Dein gratis dato: quòd tales personæ non tenerentur concurrere etiam ad collectas extrà ordinarias, uti de quorundam locorum consuetudine non dubito, sequitur ex hoc, quòd ad eas non teneantur de jure? Neutiquam cum sint membra reipublicæ, commodis ejusdem fruuntur; ergo etiam ab eadem rationem tenebuntur Clerici. Quòd autem Princeps Ministris suis nobilibus, Consiliariis &c. specialiter hanc obligationem remiserit, non propterea cæteris murmurandum erit, cum per hoc, quòd uni fiat gratia; alteri non fiat injuria. Ostendant & Clerici tale privilegium speciale in jure, & eos pariter ab extraordinariis oneribus eximemus. Urgebis cum R. P. Anton. Söll *in cit. Q. Q. Canon. de Tributis p. 2. c. 3. q. 6. n. 204. in medio,* æquitatem ex regula: *qui sentit commodum ss. in 6.* à me petitam esse cerebrinam, cum & laici percipiant commodum

modum ex Ecclesia loci, cuius sunt membra & tamen non teneantur ad subsidium caritativum. Dein si Clerici ob communem utilitatem ac necessitatem tenerentur contribuere, sequitur nullum eos privilegium habere quo ad tributa, uti notat Pirringh. *de Imm. Eccl. n. 79.* Sed non est opus magno conatu, ut hæ instantiæ in cunis adhuc supprimantur; imprimis enim causa, ob quam petitur ab Episcopo Caritativum, non est salus animarum sed Cleri unicè. Dein ex quibus bonis solvitur hoc subsidium quam redditibus Ecclesiasticis, tam liberali manu à laicis in Clerum eorumque sustentationem collatis? in sole autem caligare videris si ex mea sententia inferre auderes, Clericos quo ad tributa nullo aliàs gaudere privilegio, quo semper muniuntur, si titulus jurisdictionis interveniat, aut aliàs opera emergerent quæ favorem reipublicæ politica & sæcularis unicè respicerent, uti superius jam notavi, missas igitur facio hæcæ obiectiunculas utique tritas. Et ad ultiores rationes pergo, quarum sit.

24 II. Ejusmodi extraordinariæ contributiones, nec exiguntur à Principe in suæ potestatis, & superioritatis signum, neque à Clericis & Ecclesiis solvuntur in subjectionis recognitionem, sed solummodo titulo impensarum in gratiam necessitatis, vel utilitatis publicæ requisitarum, quæ Clericos non minus afficit ac laicos, ergo & illæ merito ac sine omni juris læsione ab illis exigí possunt.

25 III. Consistit in apertis Juris Civilis textibus, quæ vel in terminis, vel argumento inde desumpto manifestè Clericos ad harum impensarum concursum obligant uti sunt *l. 5. & 7. Cod. de SS. Eccl. ibi: ad instructiones itinerum pontiumque etiam divinas domos & venerabiles Ecclesias libenter adscribimus. l. 7. Cod. de operib. & prest. lib. 10.* vid. DD. *ad cit. tit. Ant. Perez. & Bruneman.* neque hæ leges quidquam disponunt, ut Antagonista loquitur, contra Immunitatem Ecclesiasticam, eo quòd ea solummodo consistat in hoc, quòd Clerici sint immunes à jurisdictione sæculari, quam hic nullam exerceri satis certum est!

26 IV. Pro hac nostra sententia præter communem, & saniozem, DD. calculum, quorum ultra centuriam adducere non foret magni laboris, militat praxis, & consuetudo; Quam in Gallia vigere testis est Rebuffus *Tom. 1. de sent. provis. Art. 3. Gloss. 6.* in Hispania, Salgado *de protect. reg. part. 3. c. 5.* citati à Gaillo, in Germania autem id demonstrat quotidiana experientia, confirmata & stabilita per varios imperii recessus *de anno 500. August. V. S. Daß die Geistliche allwegen von vierzig Fl. einen Gulden geben sollen & s. 1. von der Steuer der Stiff/ Clöster/ Ordens-Leuth/ & de anno 1544. Spiræ s. und zu disen Christlichen milden Werck* contra quam consuetudinem, uti sibi quisque facillè imaginabitur insurgit P. Ranbeck afferens eandem esse corruptelam morum, & benè sciri, quid factum, & statutum fuerit, sed neglectum esse, quid fieri & statui oportuisset. Eam pariter nullius roboris esse, orbi literario fusè persuadere conatur R. P. Ant. Söll *in laudatis Q. Q. Canon de Trib. p. 3. cap. 3. q. 5. n. 200. & seqq.* I. quòd consuetudo diminuens Immunitatem Ecclesiasticam realem aut personalem nullo unquam tempore

tempore possit coalescere, utpote maximè irrationabilis, qualis declaratur in variis ab ipso citti. Textibus, maximè in bulla Cænæ, singulis annis renovari & confirmari solitâ cui non obstat quòd in aliquibus locis promulgata non fuerit. *arg. bulla Urban. VIII. edita 1641. II. quod nulla consuetudo introduci possit, quæ est destituta consensu legali S. Pontificis, sed hæc consuetudo (si probaretur) destituta foret consensu legali, cum Is quot annis eam reprobet, & ista tolerantia nequeat censerî approbatio; quando Pontifex sciens vel non potest, vel quod idem moraliter sonat, difficillimè potest reclamare, & ad cavendas tricas vel majora mala dissimulat, Eman. Correa in Idæa Consilarii. de pena excomm. bulla Cænæ. n. 1852. cum talis tolerantia potiùs sit vis tolerata, quàm approbatio, Sylvest. V. immunitas. i. n. 9. P. Wex in ariadne Carol. Canon. p. 4. decad. 5. n. 36. & passim DD.* attamen consuetudinem hanc rationabilem esse (gratis dato, quod adhuc est falsissimum, eam contra jura Canonica fuisse introductam) sic demonstro: si consuetudo ista foret corruptela morum, omnique ratione carens, Archi-Episcopi, & cæteri Prælati in quorum districtu illa vigeret, obligati essent, & fuissent contra eam protestari, illamque summæ Sedi Apostolicæ denuntiari, ut per hanc necessaria ad eam removendam media applicarentur; sed constat hoc nunquam factum fuisse & summam sedem, quæ absque hoc tam generalem consuetudinem & praxim ipsis Imperii Reecessibus roboratam ignorare prudenter non præsumitur, consuetudini huic acquievisse, ergo erit rationabilis. Duo ista fundamenta, à P. Söll adducta veneror, & agnosco nullam consuetudinem Immunitatis Ecclesiasticæ vel directè vel indirectè aut sub quovis prætextu læsivam à sæculari Principe posse introduci. Nec putem id à me nunquam asseveratum fuisse; sed doleo, quod ista hic male & loco non opportuno applicentur. Semper enim petitur principium & id, quod Quæstionis est, nudè asseritur, ubi consuetudinem hanc immunitati diem dicere & præjudicium eidem afferre dicitur. Nunc ut rem omnem eò citius expediam, ad solutionem objectionum transeo.

Ad I. Et quidem ad duos textus ex *c. non minus &c. adversus* allatos, quos utpote ponderosos, & rem unicè conficientes, plus, quam trecenis vicibus repetit. R. P. Ranbeck, Respondent aliqui cum Clariff. P. Pichler *cit. loc. in resp. ad obt. 4.* summum Pontificem in *cit. cap.* loqui quidem de operibus publicis, uti fossatis & expeditionibus sed de illis duntaxat, quæ exigebantur autoritate Regiâ, non autem de illis, ad quorum concursum jam aliunde tenebantur, ex æquitate nimirum naturali, pacto speciali, vel titulo impenfarum; quam responsionem, licet quibusdam displiceat, tamen uti sufficientissimam in reverentiam Colendiss. in sacro jure P. Professoris mei omnibus viribus tueri lubet, cum illam non obscure colligere liceat ex ipsis *cit. cap.* verbis ponderatiùs trutinatis; utpote in quibus S. Pontifex utitur verbis jurisdictionem sapientibus, uti *aggravare, onerare, imponere,* & maximè paritas in *cap. non minus* à S. Pontifice adducta clarissimè eam videatur innuere, ibi: *ut deterioris conditionis factum sub eis Sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui legis divina notitiam non habebat &c.* quem autem latet, Pharaonem tributa sua exegisse

exegisse titulo jurisdictionis? dein rursus id monstrant verba sequentia, *ut eis* (Clericis) *quod Hieremias deplorat, competere videatur, Princeps Provinciarum facta est sub tributo* tributa namque regulariter exiguntur titulo jurisdictionis. Reponit R. P. Söll q. 7. in f. dicta capitula ad onera indicta potestate regiâ, neutiquam restringi posse, ideò, quòd non omnes urbium Rectores, consules ac alii quicumque Magistratus potestate regiâ polleant, de quibus tamen speciatim mentionem faciunt ea capitula. Sed sensum nostrum non assequitur cit. Author suû ipsius proditor; non enim sumimus potestatem regiam adeo ruditer, ut nullam aliam hoc nomine comprehensam velimus, nisi competentem regi sed omnem illam que vi jurisdictionis procedit. *Replicat* cit. Author: fucatâ hac distinctione daretur ansa vexandi Ecclesiasticos, ac tollendi Immunitatem pro libitu, cum semper laici prætenderent necessitatem vel manifestam utilitatem. Sed levis est replica. imprimis enim tanta malitia in nullo, præsertim Principe, à tanto Viro præsumi debuisset. Dein, si id contingeret, recursus pateret ad S. Pontificem, qui discussâ causâ, Magistratum jure suo abutentem ad debitam restitutionem Censuris compellet, aliisque modis viâ huic impotestatum mederi sciet.

Alii respondent cum Anatomia cit. q. n. 7. dictos textus tantum loqui de similibus casibus, ubi sæcularis Princeps *sub prætextu* necessitatis publicæ ob novum aliquod emergens accidens collectas extraordinarias exigeret; Et hinc eas ad nostram Quæstionem non satis idonee applicari, eo quòd hic sermo non sit de collectis noviter, excogitatis sed de contingentibus singulorum quasi annorum, cum indies viâ, muri, fontes &c. reparandi veniant, quorum commoditate dum Clerici æque fruuntur ac laici, justâ quoque proportionem occurrant oportet. Responsio hæc à cit. D. non probatur, quid igitur relevat? cui insuper sic insto: ex data responsione sequeretur, quod ubi emergeret casus aliquis insolitus, Clericorum tamen æque ac laicorum utilitatem respiciens, puta: si propter nimiam latronum temeritatem viâ novo indigerent præsidio: si ob propululantem noviore sectam distinctum tribunal erigendum foret. &c. quod inquam tum clerici à justâ proportionem immunes essent, cum casus hi sint insoliti, & non de contingentibus quotidianis; id quod nec ipsi admittet. Si tamen absolutè hæc responsio arrideret, non multum urgerem, cum aliquam saltem probabilitatis speciem ex narratione textûs, & circumstantiarum acquirat, in eo enim hæc verba invenies: *seu alia qualibet arbitrentur agenda de bonis Ecclesiarum, & Clericorum & pauperum Christi usibus deputatis volunt fierè cuncta compleri*, ubi to *arbitrentur* videtur posse denotare aliquem prætextum sub quo collectæ exigebantur.

Respondent alii denique cit. textus tantum loqui de oneribus mixtis, cum loquantur de *angariis, perangariis talliis, collectis, imponendi &c.* quæ utique referuntur ad mixta onera; & licet etiam ibidem deprehendantur expeditiones, fossatæ &c. ea tamen aliquando etiam fieri poterunt onera mixta, si non exigantur titulo impenfarum, sed principaliter propter personas interveniente sic quâdam jurisdictione. Ex his tribus responsionibus benevolus lector sibi seliget,

leget, quam libuerit, unaquaque enim difficultatem textuum perrumpet. Præsertim cum & lex, si interpretationem admittat in eam semper partem sit interpretanda, ex qua æquitas militat, ut tradunt communiter DD. cum Andr. Fachin. l. 1. *controv. cap. 3. conclus. 7.* sed ex nostra conclusione ipsa militat æquitas, ut ipsi fatentur adversarii *vid. supr. n. 21.* ergo &c.

Ad II. C. totum sed N. suppos. quod Principes à Clericis exigant concursum ad opera publica titulo jurisdictionis; sed solummodò id faciant titulo expensarum, in utilitatem, vel necessitatem communem faciendarum, quibus aliqui cum Clariss. P. Pichler adjiciunt titulum pacti, eo quod Clerici utendo etiam rebus in suam æque utilitatem vergentibus, tacitè cum Principe, vel Republica pacisci censeantur, quòd ad onera etiam concurrere velint. Paritas cum externo populo adstructa imbecillis est, quia exterea illa regio omnino exempta est potestati alterius vicinæ regionis, non autem Clerici, supposito quòd res ad restim redeat. Dein ex parte extera regionis nulla versatur communis utilitas vel necessitas, neque bona illius in vel de Territorio sunt; cujus contrarium elucet in Clericis.

Ad III. Disparitas se ipsam prodit per hoc, quod tributa personalia, aut mixta imponantur primariò personis easque principaliter gravent ut subditos, quorum qualitatem extrema necessitas non immutat, eoquòd Clerici, ut ut id utilitas vel necessitas postularet, subditi tamen jurisdictionis laicæ fieri nequeant, utpote istà jure divino, & naturali exempti; in nostro autem casu econtrà, tantum abest, ut Collectæ Clericis imponantur, ut *subditis*, & titulo jurisdictionis, ut potius hoc asserere esset indignum, & omni peritùs fundamento carens.


Ad IV. R. sub distinct. laici sunt membra reipublicæ principaliter, & per se in causis non communibus & regulariter, & ordinariè C. secus N. fateor lubenter laicos regulariter esse præcipua R.P. membra, eo quòd Capiti suo subjaciant, despoticè ad utilitatem totius corporis gubernanda, quòd de Clericis absit, ut sustineam; sed eas tantum ad observandas communitatis leges vi non coactiva, sed directiva, non tamen simpliciter indirecta, obligari cum Comuniore Canonistarum assero. Unde ulternis amplissimè concedo, casu quo utilitas, vel necessitas quædam emergeret, quæ non directè communitatem, sed aliàm causam ut ut publicam concerneret, Clericos nullo modo, nisi in subsidium esse obligatos; pone enim palatium Principis flammis absumptum: Principatum augeri posse, aut fœdus utile iniri &c. his casibus cum utilitas inde resultans in Clerum solummodò indirectè redundaret, nemo defendet eos ad concursum horum esse obligatos. Illust. Cancell. Schmid *semicent. 2. controv. 10. n. 7.* ubi verò utilitas ab utraque parte communis foret quis eos liberos existimet sine gravissima æquitati inferenda injuria? quanta enim non foret iniquitas, si Clerici qui æque ac laici quotidie vias publicas, atque pontes curribus & plaustris oneratissimis hinc inde vehendo destruunt, ad illorum reparationem nihil contribuere vellent? si hoc adversarii rectius considerarent, ambabus, ut ajunt manibus sententiam hanc amplecterentur. Sequelæ, quas Recentior iste

52 QUÆSTIO III. *Utrum Clerici non teneantur &c.*

ex sententia hac necit, verè sunt absurdæ, in cerebro illius prognatæ, & obstetricante in considerantiâ in lucem protrusæ. Apertum namque est in illis casibus necessario intervenire jurisdictionis & potestatis Titulum, in manifestum Immunitatis gravamen & præjudicium, quod hic penitus abesse patet consideranti; utique Clerici sunt Cives privilegiati, sed tantum à potestate Regia, non ab onere, ad quod naturalis ratio quemlibet obstrictum voluit.

32 *Urgebis ex cit. Cap. adversus ubi si habetur, prædicti laici humiliter & devotè recipiant cum gratiarum actione* ergo Clerici non sunt strictè obligati, cur aliàs iisdem gratiarum actio rependenda foret? Sed contra est, quod S. Pontifex per hæc verba non voluerit Clericorum exemptionem asserere, sed tantum, quòd ii non ad instar laicorum vi, & impetu apparitorum, ad suæ portionis solutionem sint compellendi; indigna enim, & à scandalo non excusanda res foret, si ex collectæ à Monasteriis, causis piis, vel Clericis militari manu extorquerentur, quos tamen jus divinum, & naturale debito honore afficiendos esse imperant. *Guttierrez l. 1. pract. Q. 2. c. 3. n. 10. David Mæv. p. 6. decis. 127. implorandum igitur legitimorum superiorum & Episcoporum Auxilium, qui iisdem in virtute S. obedientiæ præcipiant, ut præstent ea, ad quæ jure, & æquitate sunt obligati, vel demum, si & ii officio suo fungi nollent, existimarem Clericos indirectè (omni tamen odio, & avaritiâ remotis) ad solutionem adstringi posse, subtrahendo iisdem v. g. frumenta &c. in qua tamen re cautissimè, si unquam, & non nisi ponderatâ benè causâ procedendum erit. Assentit, quo adhæc Lessius de J. & J. l. 2. cap. 33. dub. 3. n. 24. sustinens etiam Clericos reali exactione ad solutionem adigi posse, si commodus ad S. Pontificem recursus non fuerit.*

33 Quod autem ad hæc collectas neque arbitramentum Episcopi neque consensus S. Pontificis requiratur, probatur exinde, quod ex una parte certum mihi sit, Clericos ad eas teneri, ex altera verò, neque de consuetudine neque de jure probetur eam requiri; tam arduum autem onus Principi imponere sine expresso textu temeritatis notam potius sapit, quàm prudentem ergo Clericos Zelum; ut adedò deceptus esse videatur P. Ant. Söll; dum *in cit. Q. 2. p. 2. c. 3. q. 7. n. 208. ait. solum id dicere D. Glettle, sine ulla auctoritate in re gravissima, ac maximum Ecclesie inferente præjudicium, contra communem, cum omnes supponant consensum Episcopi & Cleri requiri; sed solum disputari, quid nomine Cleri hic intelligatur; non enim solus id affirmat Glettle, sed plurimi insuper CC. & Civilistæ. Ad text. oppositos congruè responderetur, eos tantum intelligi de tributis mixtis, & titulo jurisdictionis impositis non de illis ad quæ justâ proportionem jam aliunde tenentur. Cum ibi imprudentia nulla possit intervenire.*



QUÆ-



QUÆSTIO IV.

*Utrum Transactio possit rescindi propter lesionem
ultra dimidium?*

SUMMARI A.

N. 1. *Transactio habet multa singularia in jure* 2. unde *Questio oritur an etiam beneficium* l. 2. Cod. de rescind. vend. in ea locum habeat. ? 3. 4. recensentur *affirmantis sententia Patroni eorumque fundamenta.* 5. altera *negativa eligitur & faventes eidem DD. attexuntur* 6. *rejicitur communis Ratio pro hac sententia afferri solita & alia parantur.* 7. *pro basi adstruitur* l. 56. §. 1. ff. de *Condict. indebit.* 8. 9. *exploditur solutio Fachinei ejusdemque interpretationi alius adhuc textus opponitur* 10. *ostenditur lesionem ultra dimidium non esse idem, ac calumniam evidentem* 11. 12. *affertur* l. 118. §. fin. ff. ad *SC. Trebell.* & *eos hallucinari ostenditur, qui in hac questione distinguunt, utrum lesio probari possit nec ne?* 13. 14. *manifestè monstratur Fachineum in in cit. l. responsione vacillasse.* 15. *aliæ adhuc responsiones enarrantur remissivè.* 16. 17. 18. *paritatem ex l. 20. Cod. de transact. desumptam quam maximè stringere contra Fachineum evincitur,* 19. 20. 21. *rursum eidem Authori demonstratur paritatem ex l. 5. §. 2. ff. de jurejur. petitam esse inexpugnabilem.* 22. 23. 24. 25. *ostenditur* l. 15. ff. de *jurejur. quæ à sententia meæ Patronis magnè estimatur, non adeo multùm favere.* 26. *roboratur sententia hæc quâdam ratione.* 27. 28. 29. *contra Merendam evincitur allegata in mei favorem ab ipso* 8. *juris loca ex omni parte non stringere.* 30. *probatur* l. 3. ff. de *trans. ab adversariis in cautè & male lectam adduci* 31. *demonstratur* l. 5. Cod. de *dolo mal. nihil contra me facere, sed ibidem verum Patris dolum intervenisse* 32. *eundem etiam in l. 65. ff. de Cond. indeb. requiri dicitur.* 33. *assignantur duæ differentie inter transactionem & alios contractus, quò ad hanc materiam.* 34. 35. *rejicitur responsio à D. Gletle ad l. si quis ff. de V. S. data & alia affertur.* 36. *ultima ratio & duæ Confirmationes allatæ eliduntur.*

Cum transactio sit præambulum iudicii, & medium commodissimum ad sopiendas lites à jure adinventum, illam pariter habere multa specialia & singularia, ne lites resuscitentur, in aprico est; aded quidem, ut nec imperiali rescripto valeat infirmari *l. 16. Cod. de transf. & similia* plura, quæ videre licet apud Interpretes ad Titulos *Decretalium, Digestorum, & Codicis de Transact.* in specie apud D. Manz. & D. Georg. à Widmont celeberrimos in hac Academia Juris Professores p. m. in *Tractatibus de Transact. per tot.* Unde non levis inter eos exoritur controversia: an etiam transactionis favor eò ampliari debeat, ut neque in illa beneficium *l. 2. Cod. de rescind. vendit.* locum habeat? quæ quæstio me hercule est sabbathina, & magnis partium studiis tam acriter, quam frequenter agitata. Affirmativam, ut *humaniorem & æquiores* propugnant Bartol. in *l. 2. Cod. de rescind. vend. n. 7.* Zoes ad *ff. tit. de transact. n. 47.* licet negativam in puncto juris veriorum esse non diffiteatur. Adam Struv. *exercit. ad ff. 6. Th. 2. disp. 556. n. 16.* & ibidem in *evolutione Controv. Pinell. part. 1. c. 4. n. 14. & seqq.* Suendendorffer. in *not. ad Eckold. Tit. de Transact. §. ult. Berlich. Conclus. pract. p. 2. Conclus. 42. n. 5.* Andr. Fach *Controv. jur. l. 2. c. 26.* adducens rotam Romanam *part. 2. decis. 102. n. 2.* & retexens ingentem veterum DD. catalogum. Molin. *de J. & J. tr. 2. disput. 556. n. 16.* Jacob Wisenbach *ad cit. l. 2. Cod. de rescind. vend.* asserens eam, sicut æquitate blanditur, sic etiam plurimis in locis receptam esse. Pirrhing *ad tit. Decret. de transact. n. 3.* P. Engel *cod. n. 14.* inquit hanc sententiam non minùs justitiæ commutativæ, quam æquitati naturali, & utrique juri conformiorem esse & quidem.

I. Argumentantur *ex l. 3. §. 1. & l. 12. in f. ff. de transact.* ubi proponitur casus, quo aliquis cum hærede fidecommissario super fidecommissio sibi relicto transegerat; postea verò ex Codicillis prolatis patuit ei debere ampliùs; deciditurque hæredem fidecommissarium petere posse, quandò minùs ex transactione consecutus fuit, ex ratione addita in *f. quia de eo duntaxat cogitasse censetur, quod illarum tabulis, quas tunc noverat, scripturam continebatur.* ergo transactio ob læsionem poterit rescindi, cum & dici possit, de eo duntaxat pretio, quod tempore transactionis innotuit, transigentem cogitasse.

II. Adducitur à Fach. *cit. loc. text. in l. si superstite §. Cod. de dol. malo* ubi clarè asseritur, quod in transactione locum habeat rescissio propter immodicam læsionem; ibi enim filia ex administratione bonorum maternorum cum Patre transigenti, eo quòd apparuerit eam læsam esse immodicè, datur actio in factum ad petendam rescissionem ibi: *sanè si læsa es immodicè, non de dolo propter paternam verecundiam, sed in factum actio tibi tribuenda est.*

III. Fundat se idem Author *in l. 65. §. 1. ff. de Condict. indeb.* ibi: *si autem evidens calumnia detegitur, & transactio imperfecta est, & receptio dabitur,* ergò si evidens, & quidem ultra dimmidium demonstretur læsio, transactio nulla est & imperfecta, debeatque rescindi cum ibi evidens censeatur adesse calumnia.

IV. Eadem ratio subest in transactione, ut ea ob læsionem utrâ dimmidium

dium rescindi debeat. quæ invenitur in emptione, & venditione, ergo & transactio rescindi debebit. *prob. ant.* ratio quare in emptione, & Venditione obtineat remedium *l. 2. Cod. de rescind. Vent.* hæc est, quia ut text. in *cit. l. 2. ait, humanum est, ut vel pretium &c.* & ne quis cum ulterius jactura locupletetur, id quod humanitas, & æquitas non patiuntur *cap. 48. de R. J. in 6.* sed etiam humanum est, ut residuum in transactione suppleatur, vel ea rescindatur, cum nullo unquam casu æquum sit alterum alterius injuriâ locupletari ergo? ita. *Zoes. cit. loc.*

V. Adducitur text. in *l. si quis cum aliter ff. de V. O. ibi: qui enim per dolum obligatus est, competit ei exceptio; idem est, etsi nullus dolus intercesserit stipulantis, sed ipsa res in se dolum habeat, cum enim quis petat ex ea stipulatione hoc ipso dolo facit, quod petit.* Ex quo textu sic, ut existimant, validdè inferunt: dolus ex proposito talis, & dolus re ipsa, sive læsio immodica in *cit. l. æquiparantur*, sed propter dolum ex proposito talem, transactio rescindi debet. *arg. l. 9. §. 2. ff. de Transact. l. fin. Cod. mandat. l. 7. in pr. ff. de dol. malo.* ergo etiam, si dolus contingat re ipsa, & hoc videtur esse præcipium Fachinæ argumentum. Cum & aliàs is, qui cum alterius jactura locupletatur, in dolo sit *p. l. 17. §. 4. ff. de Inst. act. l. 1. §. 5. ff. deposit.*

VI. Si velimus loqui secundum jus naturale transactio ob immodicam læsionem debebit rescindi, ergo etiam id obtinebit de jure positivo cum illud à jure naturali recessisse, & divortium fecisse, nullibi sat clarè patet. Hanc rationem tanquam novam argumenti machinam adducit Gletle loco mox citando, non obscurè significans, illam suo ingenio in acceptis referendam esse.

Confirmatur I. Si jure naturali quid clarè inveniatur esse dispositum, jure Civili verò dubiè, & subobscurè standum est juri naturali, quia jus clarum semper manet in possessione sua, sed jure naturali clarè statuitur, dari in transactione rescissionem ob læsionem immodicam, jure Civili vero contrarium tantum dubiè, ergo &c.

Confirmatur II. Si jus Civile hoc in puncto, à jure naturali recessisset, tunc ideo quia id exegit favor publicus, sopiendarum litium gratiâ, sed favor publicus cum magno privatorum dispendio non operatur. ergo? *Zoes. cit. loc.*

Hiscè tamen rationibus non relevantibus, negativam, juri quippe conformiorem, alteri præfero cum Hahn & Wesenbec. *Tit. de Transact. n. ult.* Tulden. in *Cod. Tit. de rescind. vendit. n. 4.* Anton. Perez. *cod. Tit. n. 16.* Menoch. *Conf. 401. n. 157.* Manz. *Tr. de transact. q. 2. n. 8.* Vinn. *select. 22. l. 1. cap. ult.* Eckold. *ff. de transact. §. 11.* Strauch. *diss. 26. aphoris. 9.* Gail *l. 2. observ. 20. à n. 7.* qui ab aliquibus malè inter adversarios locatur, D. Gletle *select. 22. ex 1. pandect. part. q. 25. p. tot.* D. Wolleren in *22. select. q. 7.* Ant. Merenda *Controv. l. 6. cap. 21.* & aliis quam plurimis, quorum copiam ingentem citant. Fachin. & Berlich. *cit. loc.* quos plurimi ex Canonistis, & Theologis sequuntur. Cum P. Haunod. *de J. & J. tom. 4. Tr. 10. cap. 1. controv. 24. n. 247.* Clarissimis P. P. Schmalzgr. *ad cit. Decret. tit. de transact. n. 19.* Pichler *cod.*

cod. n. ult. Wiestner cod. n. 10. König n. 27. P. Ebberth Controv. select. Controv. 12. & aliis ab his citt. DD. de praxi fermè universalì in Imperiali Camera recepta & rotæ decisionibus stabilità attestantibus.

- 6 Cujus sententiæ ratio primaria communiter adduci solet sequens: quòd remedium *d. l. 2.* non habeat locum, nisi in casu, quo læsio ultrà dimmidium potest probari, sed in transactione læsio ultrà dimmidium nequit probari, cum enim res adhuc fuerit incerta & casus dubius, nunquam poterit demonstrari, quid in illa *medium* fuerit, ergo neque probabitur læsio ultra dimmidium. Sed hæc ratio non est generalis, neque solida; finge enim te transigentem postea ex instrumentis repertis vel alio modo, probare posse, litem certò certius tibi fuisse ad judicandam &c. Adstruenda igitur graviora fundamenta, sitque.
- 7 I. Et Principale ex *l. 65. §. 1. ff. de Condict. indeb.* ubi J.C. Paulus clarè respondet, quod si transactum fuerit, non debere quæri an res quædam, & ea, de qua transactum fuit, subfuerit. Ibi: *Et quidem, quod transactionis nomine datur, licet res nulla media fuerit, non repetitur, nam, si NB. lis fuerit, hoc ipsum, quod à lite discedatur, causa videtur esse, sin autem evidens calumnia detegitur, & transactio imperfecta est, & repetitio dabitur.* Decidit lex ista, licet res media nulla fuerit (à potiori si læsio, ut ut immodica contigerit, quia tunc saltem aliqua res media erit) tamen non rescindi transactionem ex ratione: *nam si lis fuerit, hoc ipsum quòd à lite discedatur, causa videtur esse.* Excipit autem J.C. casum, in quo evidens calumnia detegitur, hoc est talis, ubi nequidem litem fuisse apparet, nam ibi transactionem rescindi jura & æquitas postulant.
- 8 Ad hunc textum adversariis nimium difficilem, resp. Fachinæus illum ad propositam Quæstionem non pertinere, cum ibi tantum decidatur repeti non posse, quod solutum est in causâ transactionis, licet nihil deberetur, utrum autem ipsa transactio impugnari posset, ac rescindi? textum non declarare.
- Sed responsio hæc non videtur satisfacere, nam si transactio posset impugnari, & rescindi, utique etiam solutum causâ transactionis repeti posset, si non conditione indebiti præcisè, saltem alia viâ. Imo etiam conditione indebiti, quod sic probo: Illud repeti potest conditione indebiti, quod solutum est absque causa, id est obligatione *text. & DD. in tit. ff. & Cod. de Condict. indeb.* sed in transactione, ubi adest læsio ultrà dimmidium, solvitur aliquid absque causa, & obligatione debendi, cum ea secundum adversarios sit nulla, vel saltem rescindibilis, ergo. Dein huic interpretationi Fachinæi oppono *text. in l. non intentio. 27. Cod. de trans. ibi. nam cum Quæstionem transactione decisam, & à te dari placitam numeratam pecuniam proponas, improbè tibi decerni petitionem postulas, cum etsi tantum in stipulationem fuisset deductum, indebiti velamento à promisso defendi non posses.* Volebat ibi quis probare, se, licet transactum fuisset, indebitum solvisse (utique ob læsionem immodicam, aut aliud transactionis vitium) & tamen improbitatis arguitur, quia transactione negotium finitum fuerat. Foret autem hoc injustum, & imperatoriâ Majestate indignum, si sub prætextu læsionis enormis transactio impu-

impugnari, & rescindi posset, cum adhuc inter indebiti conditionem, & inter transactionis rescissionem lata sit disparitas; in illa enim læsio circa totam rem in hac verò tantum circa majorem partem probari deberet.

Nec audiendi sunt alii, qui existimant calumniam evidentem detegi, si demonstretur læsio ultra dimmidium; præterquam enim, quod textus huic interpretationi, vel potius ariolationi repugnet, eo quòd læsionem immodicam imò, & quo ad totam rem existentem excludat, quot casus figurari non poterunt, in quibus verà lite, & bonà fide existente tamen tanta læsio incidat?

II. Irrefragabilis textus extat in l. 78. §. fin. ff. ad SC. trebell. ibi. *Heres ejus, qui post mortem suam rogatus erat universam hereditatem restituere, minimam quantitatem, quam solam in bonis fuisse dicebat, iis, quibus fidecommisum debebatur, restituit; postea repertis instrumentis apparuit, quadruplo amplius in hereditate fuisse; Quæsitum est, an in reliquum fidecommisum nomine conveniri possit?* respondi secundum ea, quæ proponerentur, si NB. Non transactum esset posse. Ex hoc textu clarè colligitur, etiam ob læsionem enormissimam longè ultra dimmidium, non posse rescindi transactionem, licet ea repertis postea instrumentis clarè detegatur. Quem text. in medium pariter duco contra eos (inter quos sunt magni Nominis DD. hic non adducendi) qui in hac controversia sic distinguunt, an læsio ultra dimmidium possit probari, vel non? si possit, concedunt in transactione etiam locum habere remedium d. l. 2. eo quòd non pateat, cur hoc in puncto transactio quid singulare habeat à reliquis contractibus, si verò non possit probari, dictum remedium denegant. Enimvero distinctionem sanè ridiculam, & hactenus ignotum (si superis placet) ingenii partum! cum sic distinguendum sit non solum in transactione, sed in omnibus etiam contractibus; si enim Quæram: utrum in emptione, & venditione locum habeat l. 2. Cod. tit. cit.? respondendum erit sub distinct. si læsio possit probari C. si non possit probari N. sed inutiliter sic loquimur. Quis enim ignorat, probari debere fundamentum suæ intentionis, & hinc utique, si contendam agere ex d. l. 2. probare debeo læsionem ultra dimmidium, aliàs à limine iudicii repellendus. Licet jam textum hunc jure appellem irrefragabilem, non desunt tamen contra eum adversariorum replicæ.

Fachinæus utpote ex potissimis sententiæ hujus adversariis, eam legem ideo mihi nullatenus patrocinari contendit, quia in illius facti specie læsio non intervenit considerato tempore transactionis, quod tamen considerandum esse vult *text. in L. Si voluntate. 8. Cod. de rescind. Vendit. ibi: si minus dimmidio iusti pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset.* tempore transactionis autem in *cit. l.* casu nullam intercessisse læsionem ex eo constat, quod hæres fidecommisarius demonstrare non poterat, plura in hereditate bona fuisse, quàm hæres fiduciarius diceret, cum in promptu instrumenta non fuerint, quibus læsio probari debebat, Quare actor facile succubuisset.

Pulchrè sic pro me perorat Fachinæus & fundamentum meæ conclusionis potissimum in l. text. allatum deducit. sed quo jure hæc Responsio adversæ suæ sententiæ proderit? utique de essentia transactionis est, ut res,

H

de qua

de qua transigitur, vel lis, verè sit *dubia* consideratis omnibus circumstantiis, ergo considerato tempore transactionis, quo res debet esse *vere* dubia nunquam læsio probari poterit, ergo transactio pariter nunquam ex capite læsionis rescindi, quod est mea sententia. Sequelas hasce Fachinæo sic probo: juxta ipsum ad rescindendam ex capite læsionis transactionem requiritur, ut *eo ipso*, quo transigitur, tempore ex instrumentis, vel aliis probationibus evidenter demonstrari possit, læsionem subesse, ut patet ex ejusdem data responsione *cit. loc. vers. tempore autem transactionis*; sed hoc in nullo casu figurabili, & metaphysico fieri poterit, ergo nunquam poterit probari læsio; *prob. mi.* si relatum requisitum in casu aliquo dari posset, sequerentur manifesta contradictoria, nimirum hæc: res esset dubia; uti requiritur, & non esset, quia læsio, & ipsum debitum evidenter ex instrumentis demonstrari posset, ergo in nullo casu figurabili id fieri poterit, consequenter nec juxta ipsum ex capite læsionis rescindi transactio.

15 *o* Aliter respondent alii, scilicet: tempore transactionis jam ad fuisse instrumenta, ex quibus aperta læsio cognita fuit, & tamen Hæredes transegisse; ità, ut rectè *in cit. l.* decidatur eos contra transactionem suam venire non posse. sed hæc responsio alterà adhuc imbecillior, & crassior est; partim quia ibidem rursus non fuisset res dubia, cum ejusdem certitudo ex instrumentis jam patuerit, & sic non veram transactionem, sed tantum conventionem, & liquidum debiti gratuitam remissionem intervenisse constet, partim, quia iste casus speciali decisione non indigniffet, cum in generalibus transactionis terminis jam foret comprehensus. Aliorum adhuc diversimodas Responsiones, earundemque refutationes non lubet attexere, cum eas reperire liceat in *Merenda cit. loc. n. 12. & 13.* & ego aliàs non libenter alienis plumis superbiam.

16 III. Non minùs clarè sententia hæc insinuari videtur *in l. 20. Cod. de transact.* ibi: *non minorem auctoritatem transactionum, quam rerum judicatarum esse, ratione placuit, siquidem tam nihil fidei congruit humana, quam ea, que placuerunt custodiri.*

Ex qua *l.* sic argumentor: transactio & res judicata *in cit. l.* quo ad auctoritatem (id est valorem, & durationem rei) æquiparantur, sed adversus rem judicatam ex capite læsionis non datur restitutio per *l. 2. Cod. quand. provoc. non est necess. l. 1. ff. eod. l. 2. & 4. Cod. de re jud. l. si per imprudentiam Cod. de evict.* ergo neque adversus transactionem, sicut enim res judicata pro veritate habetur, *l. 207. ff. de R. I.* sic etiam transactio habebitur cum ea re judicatà non minorem habeat auctoritatem *p. cit. leg.*

17 Insurgit Novo animo Fachinæus, asserens paritatem transactionis cum re judicatà, in aliquibus quidem procedere, in potissimo tamen effectu ad Quæstionem hanc pertinente ideo discrepare, eo quòd ex sententia (ut ut iniqua, & læsiva) detur ordinarium remedium appellationis & sic æquitas nulla subsit, rescindirem judicatam; imputet enim læsus suæ negligentiae, quòd beneficio sibi concessio usus non fuerit. Econtra, si transactio enormissimam læsio-

læsionem inducat, nullum amplius læso datur remedium, ut proin omnis humanitas, & æquitas exigat, transactionem rescindi.

Congruè satis sic respondetur, sed difficultas non superatur; præterquam enim, quòd ista responsio, si fringeret, etiam procedere deberet in læsione quacunque, quæ transactioni intervenit, cum & ibi remedium nullum detur, benè tamen in re iudicata, certè non video, cur per sententiam læso denegari debeat actio rescissoria, & non læso per transactionem, sicut enim prior sibi in putet, quòd ante oculos habens omne jus suum per appellationis remedium deducendum, fatalia appellationis negligenter elabi siverit, sic etiam suæ transactor adseribat facilitati & negligentiae, quòd pro Jure suo liquido, in iudicio deducibili, certam aliquam rem acceperit, & sic ulteriori jus suum prosequendi beneficio cessasse præsumi debeat.

VI. Inexpugnabile robur huic sententiæ comparat. *l. 5. §. 2. §. l. non 19. postea §. 1. ff. de jurejur.* ubi deciditur, quòd is, qui adversario suo juramentum detulit, læsionem, quantacunque sit, allegare nequeat, imo etiam si nulla debiti obligatio subfuerit, ut patet ex textus verbis: *dato jurejurando non aliud queritur, quàm an juratum sit, remissa questione an debeat, quasi satis probatum sit jurejurando, item hoc solùm queritur an juratum sit dari sibi oportere?* ergo à fortiori læsio nulla allegari poterit in transactione, cum notorium sit ideo hoc in juramento statutum esse, quia juramentum similitudinem transactionis obtinet, id quòd clarè exprimitur in *l. 22. ff. de dolo.* ibi *quòd si deferente me juraveris, & absolutus sis, postea per juramentum fuerit probatum, Eabeo ait, actionem de dolo in eum dandam, Pomponius autem, per jusjurandum.* NB. *transactum videri.* Item in *l. 2. ff. de jurjur.* ibi *jusjurandum speciem continet transactionis.*

Respondet iteratò Fachinæus ad hancce paritatem, negando consequentiam; quæ enim in certo negotio specialiter constituta esse legimus, non sunt trahenda in consequentiam; quòd autem in jurejurando ob læsionem etiam enormem locum non habeat rescissio, speciali jure statutum est, quia juramentum offerens consentire videtur, ut jurans testis sit ac iudex in causa propria: *l. ult. Cod. de fidecom.* quare conquæri non debet, & damnum, quòd suâ culpâ sentit, sibi imputare tenetur *reg. damnum de R. I. in 6.*

Utique, repono ego, constitutum id esse speciali jure in juramento, cum aliàs regulariter in omnibus contractibus dispositio *l. 2. Cod. de transact.* locum habeat, sed quæro, & ex Fachinæo sciscitor rationem, cur hoc in illo statutum sit? nunquid eam exprimunt leges: *quia per jusjurandum videtur transactum: quia jusjurandum speciem transactionis continet;* Nunquid ideo? utique; ergo & id procedet in transactione; hucusque enim in scholis obtinuit commune axioma philosophicum: *propter quòd unumquodque est tale, illud magis est tale,* præsertim cum id in transactione pariter procedere jura sat clarè exprimant.

V. Non leve argumentum ducitur *ex l. 15. §. si pignora ff. de re jud.* ubi deciso, quòd si pignora emptorem non inveniunt, ea possint adjudicari possi-

denti creditori, subjicitur: *nam si creditor maluerit pignora in creditum possidere, hisque contentus esse, rescriptum est, cum non posse, quod amplius sibi debetur, petere, quia velut pacto transegisse de cætero videtur, qui contentus fuit prædita possidere, ex quo text. Merenda ducit Argumentum ut loquitur omnino solutione majus: quod, sicut is, qui pignoribus contentus est, censetur reliquum Jus suum remittere, sic etiam, qui transigit recepto, retento, vel promissio aliquo censetur omni juri suo, quod aliàs haberet, pro illo renunciare, nec jura sinunt, ea quæ semel placita fuerunt, retractari; maximè cum causa, propter quam ad conventionem devenitur, eæ sit naturæ, ut certam æstimationem respuat, qualis est causa transactionis; arduum enim est decernere, quantum cuiusque sit, à lite discedere, & sic in *cit. l. 65. ff. de Condit. indebit.* pulcherrimè dicitur: *hoc ipsum, quod à lite disceditur, causa videtur esse.**

23 Respondent aliqui cum Fachinæo: quod ibi intervenerit Authoritas judicialis, sed hoc nihil efficit, cur enim hic majorem fructum concursus judicialis authoritatis operabitur? vel certè ea responsio titubat, si & transactio judicialis fuerit.

24 Melius aliqui responderent (saltem ego, si in adversæ sententiæ castris mererer, hanc responsionem arriperem) ideo creditorem non posse illud residuum petere, quia de illo residuo, ut loquitur textus, videtur transegisse, quod neque in hoc casu ullus negat, si de læsione immodica etiam transactum fuerit.

25 Et ut verum fatear, licet plerique ex meæ sententiæ Patronis magnam in *b. text.* vim collocent, verbis tamen illius (etsi paritas inde ducta reprehendi nequeat) tantum roboris non tribuo; cum læsionem quam creditor ibidem sentit, non fuisse enormem, sed levem tantum exinde colligi possit: quod si periculum læsionis enormis subfuisset, creditor utique tam negligens rerum suarum Paterfamilias fuisse præsumi nequeat, ut pignora sine protestatione sui quo ad reliquum juris conservatoria, acceptarit.

26 VI. Transactiones adinventæ sunt ad sopiendas lites, & perimendam earum frequentiam *l. 10. Cod. de transact.* adeo, ut ne quidem imperiali Principis rescipito valeat rescindi *l. 16. Cod. eod.* ergo neque sub prætextu læsionis postea probandæ; præsertim cum expressè statutum legamus in *l. 19. Cod. eod. sub prætextu instrumenti postea reperti* (quo læsio probanda foret, & quod etiam in aliis probationibus obtinet) *transactionem bona fide initam rescindi, jura non patiuntur.*

27 VII. Merenda *cit. loc. n. 14.* pro indissolubili argumento servire ait, quod Diocletianus, & Maximinianus Impp. octies interrogati, an læsio ad infringendam transactionem allegari posset? semper negativè responderint, nullà factâ distinctione, an levis, enormis, vel etiam enormissima læsio subesset, etiam in iis facti speciebus, ubi læsio enormissima spectato litis eventu adesse poterat; nec credendum est Impp. de eadem re toties interrogatos, nunquam fuisse expressuros, transactionem rescindi posse, si enormis, vel enormissima læsio subfuerit.

Et hæc octo juris loca apud Merendam à. n. 15. inveniet Lector bene-²⁸
 volus, quem tamen monere volui, ea ex omni parte non stringere, nam *legem*
33. Cod. de transact. quem n. 16. adducit ibi: *si pro fundo, quem petiebas fun-*
dum certis finibus liberum dari transactionis causa placuit, licet hoc prædium
obligatum post vel alienum pro parte fuerit probatum, instaurari decisam litem
prohibent jura ad hanc nostram materiam, meo iudicio, planè impertinentem,
 & malè applicatam (salvâ tanto viro, ut decet, reverentiâ) esse existimarem,
 cum ibidem conventum in transactione fuerit, de præstando prædio libero, &
 sic jure merito responsum fuerit transactionem rescindi non posse, eo quòd in
cit. legis casu læsio in transactione non contigerit, sed tantùm fides circa præ-
 dium liberum conventum data, liberata non fuerit, unde decepto solummo-
 dò competere potest actio ex stipulatu aut præscriptis verbis, ad hoc, ut trans-
 actio impleatur, prout ea mediante stipulatione, vel tantùm nudo pacto con-
 tracta fuit. hanc responsonem ipse textus, si ulterius à Merenda citatus fuisset,
 demonstrasset.

Iterum *l. unica Cod. de errore calcul.* quem adducit n. 17. ibi: *Unde ra-*²⁹
tiones etiam sæpè computatas denuo retractari posse, si res judicate non sunt, vel
transactio non intervenit, explorati juris est, parum roboris nobis conciliat, li-
 cet enim verum sit, quod error calculi enormissimam læsionem sæpiùs possit
 inducere; *cit. tamen textus* ne vel verbulum dicit, quod si in casu, quo re ipsâ
 intervenit error calculi, transactum fuerit, non detur recissio sed tantùm hoc
 indicat, quòd si super ipso errore calculi transactum fuerit, aut judicatum sit,
 rationes retractari nequeant, uti hanc legem pro certò interpretantur commu-
 niter DD. ad *cit. tit. de errore calcul.* Perez. *ibid. n. 2.* verbis: *nisi cum dubi-*
taretur de errore calculi, hæc controversia per transactionem finita sit l. unic.
b. r. Bruneman. Wisenbach, & alii. Sed hæc per digressionem dixerim. re-
 deamus nuc in semitam & videamus quantum roboris argumenta ab adver-
 sariis allata ipsis concilient.

l. Ad textum ibi cit. r. illum incautè adduci, nèque benè aut saltem obi-
 ter intellectum. Non enim ideo in *cit. l. id* quod adhuc residuum est³⁰
 repetitur, quia læsio in transactione contigit, sed quia jura specialiter trans-
 actiones irritarunt, quæ super ultimis voluntatibus fiunt non inspectis testa-
 menti tabulis, uti clarè deciditur in *l. 6. ff. de transact.* cum publicè expediat
 suprema voluntatum iudicia exitum habere; & hoc quidem usque adeo procedit,
 ut transigentes inspectioni, & cognitioni verborum testamenti nequidem
 renunciare valeant, cum hæc conventio, & renuntiatio sit contrà jus publicum,
 cui privatorum pactis nequit derogari. *l. 7. §. 14. & l. 83. ff. de pact.* Faber
in Cod. ad tit. de transact. defin. 1. Perez *ad cit. tit. n. 10.* Ratio autem sub-
 jecta, licet ad quaslibet transactiones extendi possit, nihil efficit, cum aliunde
 constet rationem istam hujus specialis constitutionis non esse principalem cau-
 sam, sed ut dixi, favorem publicum, qui exigit supream hominum voluntates
 exitum fortiri, & hinc à testamenti tabulis noviter repertis non ducitur bonum

argumentum ad instrumenta alia quorum prætextu transactio veniret rescindenda, uti notat Bruneman. *ad cit. tit. leg. 3. n. 3.*

31 Ad II. N. ideo filia dari actionem in factum, quia læsa fuit immodicè, sed quia verus intercessit transigentis Patris *dolus*, quod exinde probatur. I. Quia Pater dolo filiam persuasisse censetur, ut transigeret; id quod non obscure indicatur per verba: *bona fide transigesti*, quæ frustra fuissent posita nisi significaretur filiam fidem Patris secutam transegisse, ex quo Patris dolus manifestè eruitur, quis enim, ut advertit Merenda, à dolo excusabit Parentem, qui autoritate patriâ filiam inducit ad transigendum? II. Exinde quod si controversia non spectasset Patrem, & filiam, actrici personæ data fuisset actio de dolo, ut indicant verba: *non de dolo, propter paternam verecundiam, sed in factum. Sc.* sed actio de dolo non datur, nisi ubi expressus intervenit dolus, ergo? cum vero Pater fuerit personæ conventa, datur filia solummodo (licet etiam propter dolum Patris) actio in factum, cum jus non patiatur, ut inter Parentes & liberos consistat actio famosa: *l. n. ff. de dolo malo.*

Nec Imperator, quod voluit adversarii, in *cit. l.* unicè se in læsione immodica fundat, sed putem ideo læsionem immodicam requiri, quia partim non concessisset Imperator, ut inter Patrem, & filiam consistat actio famosa licet palliata, partim etiam, quia actio, doli neque contra alios propter rem minimam communiter competit, *l. 9. §. ult. l. 10. ff. de dol. malo.* Perez *ad cit. Cod. tit.* Et hæc allati textus interpretatio ea facilius amplectenda est, quo gratius inducit suam cum aliis pro sententia mea adductis juribus harmoniam, & consonantiam.

32 Ad III. R. etiam in citatæ legis verbis finalibus adductis requiri dolum verum, propter quem rescinditur transactio *l. 7. in pr. ff. de dol. malo.* id quod clarè indicant verba: *si autem evidens calumnia detegitur* cum evidens calumnia solum monstrari possit, si intervenit dolus expressus. P. Ebberthi *cit. controuv.* adeò, ut D. Gletle *cit. Q. n. 6.* afferat hebetem oportere esse illum, qui non cognoscat per evidentem calumniam non læsionem immodicam, sed dolum designari.

33 Ad IV. R. inter reliquos contractus v. g. emptionem, venditionem, & inter transactionem ingentem esse differentiam. I. Enim in reliquis contractibus, de rebus tractatur extra omnem controversiam positis, quæ tanti à Domino æstimantur, quanti valent, & ideo ratio nulla est, cur dicamur læsum, aliquid de suo condonare voluisse, consequenter æquissimum est eidem per rescissionem subveniri, eum nemo alterius injuriâ locupletari debeat, econtra cum in transactione res sit planè dubia, & incertus litis eventus, transigens per hoc, quod accipit vel retinet, omne reliquum jus suum censetur remittere, cum *etiamsi res media nulla sit*, ut loquitur *cit. text. in l. 65. ff. de Condit. ind.* tamen obtineat transactio, & causa sufficiens sit, à lite recedatur; & si transigens velit, quod sibi debetur, cur litem non fuit prosecutus? II. Transactio specialiter inventa est ad sopiendas lites, & controrersias. Dein argum: rectorq. in re judicata, ac juramento; cum & ibi æquitas præsumpta suadere videatur,

deatur, ut læsus audiatur, aliàs lædentes cum alterius iniqua jactura locupletarentur.

Ad V. R. Gletle *cit.* Q. neminem nisi fatuum asserturum facile esse, 34
dolum ex proposito in omnibus æquivalere dolo reipsâ tali, sed tantum comparationem institutam eatenus procedere, ut quemadmodum is, cujus dolus initio intervenit repelli potest exceptione doli, sic etiam is repelli valeat, qui dolum re ipsâ comittit, forte, quia petit, quod petere jure nequit. Uti vult J.C. in *cit. l. t. §. 3. & 5. ff. de except. dol.* Sed hac responsione suâ literatiori adversario non satisfaciet Gletle, facile enim eidem sic instabit argutior: ergo si dolus ex proposito, & dolus re ipsâ talis in hoc saltem conveniant, quod uterque pariat exceptionem doli, manifestè sequitur, quod (supposito in transactione Quæstionis intervenire dolum re ipsâ) si res à transigente dari placita peteretur, petens repelli possit exceptione doli, id quod sic ei probabit: juxta ipsum datur exceptio doli, etiamsi tantum intervenit dolus re ipsâ, sed in transactione ubi datur læsio ultra dimidium, intervenit dolus re ipsâ, ergo petens repellatur exceptione doli, quod nec ipse Gletle concedet.

Hanc difficultatem intactam relinquit *cit. Auth.* aliàs satis accuratus, 35
quæ tamen haud magni est momenti, vel enim negari potest intervenire dolum re ipsâ, vel dicendum, etiamsi dolus interveniat re ipsâ, tamen exceptionem non dari, cum per hoc transactio à stipulatione differat, de qua loquitur *cit. text. vid. Merenda. cit. loc. n. 27.*

VI. I retorqueo: stando in jure naturæ transactio ob quamcunque 36
læsionem deberet rescindi, cum hoc jure nullo modo aliquis cum alterius minima etiam jactura locupletari debeat: ergo etiam de jure positivo, cum hoc nullibi legatur apertum ab ipso fecisse divortium, iterum: in dubio, utrum leges Civiles recesserint à jure naturali standum est juri naturali, sed dubium est, an jus positivum, in materia præscriptionis, quò ad forum internum recesserit à jure naturali, cum aliqui teneant oppositum ergo? aliam adhuc retorsionem, casu quo, qui certè commisit peccatum mortale, positivè dubitat an illud confessus fuerit, subministrat Clariss. P. Pichler *ad l. 2. Decretal. Tit. de caus. poss. & propriet. n. 15. ad solut. obt. 7.* II. R. hoc argumentum, quod sæpissimè, sed malo cum fructu, applicatur à quibusdam; & ab ipso etiam D. Gletle, viro aliàs, ut suprâ jam dixi, accurato & verè subtili, magni facitur, ac in *ejus Quæstionibus ad pandectas* plùs, quàm triginta vicibus invenitur, esse nullius momenti, & petere principium, sive id assumere quod est in Quæstione, uti in simili casu, de restitutione fructuum à b. fidei. possessore consumptorum, scientificè, uti amat, notat citatus Clarissimus & Eruditissimus Author. *ad cit. Decret. Tit.* cujus verbis, ob summam ergo illius fundamenta reverentiam, nihil derogare volui, ea hic subjiciens: adversarii quando sic arguunt: *Jus naturale in hoc puncto est certum, leges positiva dubia &c.* assumunt id, quod est in Quæstione, quia Quæstio non est, quid absolute disponat jus naturale; sed ea in hoc versatur: utrum stantibus juris positivi decretis adhuc existat vel vigeat jus naturale circa &c. Et non est certum, quòd post
leges

leges juris positivi adhuc existat & vigeat jus naturale, sed dubium imò probabilius relaxatum est jus naturale vel nunquam datum &c. huc usque nobilissimus Author. ex quo res omnis clarè expediri potest. Idem etiam solidè deducit, Magnif. P. Franc. Schmier. *Jurisprudēt. Can. Civil. Tom. 2. lib. 3. Tr. 2. cap. 6. sect. 3. §. 2. in resp. ad 4. object. n. 127.*

Confirmationi I. Eadem Responsio satisfacit, cum negetur jus civile hoc in passu dubium esse.

II. Parvū quoque facitur, eo quòd bonum publicum privato utique semper sit anteponendum, nec privati læsio tanta hìc subsit, ut propter hanc à manifesta legum sanctione recedamus.



QUÆSTIO V.

Utrum mutato Monetæ valore tempus contractûs, vel solutionis inspiciendam sit?

S U M M A R I A.

I. 2. Commendatur controversiæ hujus utilitas & origo ejusdem ostenditur. 3. 4. Valor nummi habetur ex estimatione publica. 5. 6. Bonitas, uti & consequenter mutatio, monetæ duplex est, in - & extrinseca. 7. 8. 9. Si certa quantitas in genere mutuata sit, in qualibet moneta solutio fieri potest. 10. modò creditor damnum non sentiat. 11. 12. Sic etiam, si certa species in individuo conventa fuerit, in eadem solutio fiat, oportet. 13. ad 23. Discutiuntur Quæstiones: I. Quid juris, si conventa species notabiliter decreverit? II. Quid item, si planè non, vel difficulter tantùm haberi valeat? 23. In Quæstione autem, quid juris, si conventa monetæ species in genere, notabiliter decreverit vel accreverit? tres sunt sententiæ. 24. I. Distinguit inter mutationem in - & extrinsecam. 25. II. Tempus contractûs indistinctè inspiciendum esse existimat. 26. III. Denique, quæ & mea est, indistinctè tempus solutionis, quo ad valorem monetæ mutatæ solvendum, attendendum esse melius judicat. 27. ad 33. Quæ variè, probatur. 33. ad 51. Et à variis Fachinæi, Berlichii, Waizeneggeri & Laymanni objectionibus vindicatur. 51. benevolus Lector ad doctissimum L. Flenderi tractatum remittitur.

Con-

Controversiam hic aggredior, si molem spectes, verè amplam, quæ
vel sola diligenter expensa suscepti laboris minerval fatis magnum ipsâ
dignitatis magnitudine persolvat; si difficultatem consideres, sanè ardu-
am, & oraculi responso dignissimam. Cui decidendæ, dum expres-
sum nullum juris textum adhuc indagaverint Interpretes, tam spinosa, & impli-
cata evadit, ut verè dicere possis, in ea tot sententias reperiri, quot capita; id
quod ex certa quadam facti-specie ad celeberrimam hanc facultatem juridicam
anno 1704. transmissa (uti Author mihi fide dignissimus retulit) colligere li-
cuit, dum in 6. respectivè dicasteriis, & diversis universitatibus diversimoda
semper de'ea judicia, & sententiæ latæ fuerint. Cui igitur discutiendæ cum ma-
num admoveere deberent, non Viri protelarii & capite censi, sed in ipso The-
midis sacrario supremi Ministri, in jurium subtilitatibus versatissimi; hinc ab
ea prorsus abstinere mihi fas esset, primâ quippe juris lamugine necdum tincto;
quia tamen statui ejus excellentiam primis solum labris gustare, & difficulta-
tem non eâ, quâ par foret, dignitate, sed brevissimè, & viâ planâ expendere,
ideo spe fretus vivo, vitio mihi neutiquam vertendum esse, si propositum pro vi-
rium tenuitate exequi studeam. Antequam autem propius ad eam accedam,
juvat in aditu paulisper subsistere, ejusque originem verbulo attingere.

Antiquiores juris interpretes, qui sæculo etiam 16. orbi literario deser-
vierunt, paucos inveneris, qui eam discutiant; eo quòd illius difficultas circa
initium sæculi 17. potissimum emerferit, ubi ob exortum, & tam longo tem-
pore continuatum Belli Bohemici furorem thaleri valorem ad 6. imo 10. flo-
renos excrevisse in omnibus Chronologicis deprehenditur; cum verò, compo-
sitis ad pacem Magnatum animis, thalerus ad pristinum valorem suum redu-
ceretur, innumera oriebantur jurgia, & tribunalia litibus scatebant. Hic enim
Creditor, qui mille florenos per summam centum thalerorum mutuaverat, fini-
to bello acceptare renuit summam mutuatam scilicet, centum thaleros, asserens
damnum, quod inde pateretur, nimium esse, cum pro datis in mutuum mille flo-
renis centum, & quinquaginta reciperet. Illic debitor ante exortum bellum
talibus factus, monetâ adauctâ nomina expungere volens à Creditore repellitur.
Hic quidam, qui belli calamitatibus in urgentem detrusus necessitatem prædi-
um vendiderat 6000. fl. summam 600. thaler. accipiens, reductis ad pristinum
valorem florenis, restitutionem adversus venditionem petit, quasi ultra dimmi-
dium læsus; & similes alios casus fabricabat ingens hæc & inopinata, uti
DD. appellant, monetarum devaluatio. Præcipuus tamen Doctorum nodus
in eo remansit, qualis in contractu mutui monetæ valor solvi debeat, an is, qui
fuit tempore contractûs, an vero is, qui viget tempore solutionis?

Etsi ab initio mundi longò temporis intervallò signatæ pecuniæ nullus
fuerit usus, sed homines rerum permutatione commercia exercerent, Ant. Pe-
rez in Cod. Tit. de vet. numism. potest lib. II. n. 2. uti pulcherrimè insinuat
in illis versiculis, quos adducit l. 1. ff. de contrab. Empt. hinc quidam vinum
emebant comati. Achivi, alii quidem ære, alii autem splendido ferro, alii vero pel-
libus, alii autem ipsi vaccis alii autem mancipiis. Successu tamen temporum
exigente

exigente id Commerciorum utilitate eum introductum esse constat, ut esset rerum omnium æstimatio *l. 4. 2. ff. de fidejuss. & mandat.* Et hinc pecuniæ potissima vis & usus non tam ex rei substantia, quam impositio valore habetur, prout insinuat *l. 1. in pr. ff. de contrah. empt.* Equidem non diffiteor bonitatem metalli esse nummorum basin, & ut ita loquar, fundamentum, cum nummus justo pondere, & consuetâ bonitate carens vocetur adulterinus: & ut ait Imp. Leo. *nov. 51.* à recta nummorum ratione degenerans; ac nummi stannei, plumbei &c. lege Corneliâ damnati sint. *l. 8. & 9. §. 2. ff. ad l. Cornel. de fals.* quamvis etiam historiæ nos doceant nummorum coreaceorum & papyraceorum usum olim valdè obtinuisse: coreaceos enim formâ publicâ perculos apud Lacedæmonios usû receptos fuisse, testatur Seneca *l. 5. de benefic. c. 14.* eosdemque tempore Joannis Regis apud Gallos viguisse, referente Perezio *cit. loc. n. 3.* Author est Guido Pap. *decis. 443.* papiraceos verò vagiente adhuc moderni Galliarum Regis Ludovici XV. in cunis purpurâ, Ducéque Aurelianensè ad regni clavum sedente, multum, imò nimium, in Gallia vagatos esse, testantur tot acerbæ Regni illius incolarum lacrymæ. Attamen, quod nummus habeat rationem pretii ex æstimatione solùm publica, & valore ipsi imposito habetur.

Unde consequitur bonitatem monetæ esse duplicem in, & extrinsecam; bonitatem intrinsecam DD. communiter contra Molinæum *de usur. q. 92. n. 696.* (qui hanc in valore impositio, extrinsecam vero in ipso pondere collocat) consistere dicunt in ipsa metalli substantia, tam bonitate, quam justo pondere proportionaliter instructa, uti colligitur ex *T. tit. Cod. de veter. nummis potest. lib. 11.* Perez ibidem *n. 11.* extrinsecam verò, in valore communi, & æstimatione per expressam, vel æquivalentem signaturam nummis imposito ab eo, qui habet legitimam authoritatem. Dixi notanter communi; licet enim jus monetæ valorem imponendi pertineat ad solum supremum Principem (quo tamen hodiernis moribus jure feudi, & specialis concessionis gaudent etiam omnes Principes & regulariter status Imperii it. Principes Italiæ, & Reipublicæ liberæ Mynsing. *cent. 4. obs. 42.*) rectè tamen cum Ant. Faber *de var. numm. debit. solut. cap. 1. n. 32.* notat Ferdin. Waizenegger illustre hujus universitatis fidus, in *Q. Q. monetariis q. 1. n. 2.* bonitatem extrinsecam non ex solius Principis voluntate, sed vicinarum gentium commercio, ac æstimatione, cum quibus communis est negotiatio, desumendam esse. &c.

Ex quo ulterius fluit, monetæ mutationem pariter esse duplicem nimirum in & extrinsecam: intrinsecam accidere, si justo pondere aliquid detrahatur, vel etiam retento pondere materia vilior, & deterior admisceatur, wann Schrott/ und Korn an der Münz gemindert wird. DD. communiter cum D. Christoph. de Chlingensp. *Inst. l. 3. Tit. 17. q. 12. obt. 1. extrinsecam* verò, quando retento eodem monetæ pondere, & bonitate valor sive pretium augetur, vel minuitur, wann der Werth oder die valuta gesteigert/ oder gemindert wird/ puta si florenus idem mox ad 50. mox 55. mox ad 60. crucigeros reducatur. Perez *cit. loc. Brunen. ad l. 1. Cod. eod.*

ead. tit. n. 3. & seqq. Waizenegg. *cit. loc.* tertiam insuper matationis speciem adiciens scil. mixtam;

His ita præmissis in controversiæ adita paulisper penetra, & materiam 7 omnem ordinatioris tractationis gratiâ in tres assertiones divido; quarum sit.

Assertio I. Communis est DD. sensus, quòd si certa tantum pecuniæ 8 quantitas in genere mutuata fuerit, obligatione non contractâ ad hanc vel illam monetæ speciem, solutionem fieri posse in quacunque specie currentis, & valentis monetæ, modò Creditor inde damnum nullum sentiat. ita Molina *de f. & f. tom. 2. disp. 312. conclus. 1.* P. Navarr. *l. 3. de restit. c. 2. n. 259.* Medina *tr. de restitut. q. ult.* Sotus *de just. l. 6. q. 1. à. n. 2.* Layman. *theolog. moral. l. 3. sect. 5. tr. 3. pr. 1. c. 5. n. 15.* Mynsing. *cent. 4. obs. 1.* Molinæus *de usur. & contract. q. 92.* Hæc assertio colligitur ex *l. si alii 1. §. 1. l. cum certum 9. & l. Titius. 35. ff. de aur. & argent. legat.* ubi dicitur legato auro, vel ipsum aurum, vel pretium præstandum esse, cum unum alterius vicem in commercio suppleat, & hinc ratio illius fluit: quia pecunia in suo genere functionem mutuam recipit, nec in solutione attenditur materia, sed valor, & æstimatio Struv. *exercit. ad pandect. 16. Th. 27.* Petr. Muller *ibid. lit. A.* Lauterb. *ad Tit. ff. de reb. credit. n. 32.* Ex quo consecutivè cum Berlich. *p. 2. conclus. 37. n. 9.* Mynsing. *cent. 1. obs. 65. & obs. 83.* inferunt DD. quòd si obligatio concepta esset, ut solutio fiat in aureis Rhenanis in guten Rheinischen Gulden / vel Gold-Gulden eam nihilominus fieri posse in qualibet moneta argentea usuali, eo quòd ex communi loquendi usu & S. R. J. praxi per aureos Rhenanos florenos, non tantum tales ex auro, sed ex argento, aut aliæ currentes monetæ in valore florenos Rhenanos adæquantes intelligantur, uti pro certo existimant, & tradunt Befoldus celeberrimus hujus Universitatis Professor in thesaur. *pract. V. Gulden pag. mibi 593.* Wehnerus *obs. pract. V. Gold-Gulden p. m. 247. §. hisce tamen omnibus.*

Dixi modò Creditor aliunde damnum non sentiat; si enim id foret, 10 iudex ex æquo, & bono arbitrabitur, in qua moneta ad evitandum damnum eidem solvi debeat, cum æquitatis ratio postulet Creditorem indemnem servari. Prænob. D. Christoph. de Chlingensp. *ad f. Tit. quib. mod. re contrah. oblig. q. 11.* ubi refert ex Brunem. *ad l. Creditorem 99. ff. de solut. n. 2.* facultatem juridicam Francofurt. in simili casu judicasse, quòd emptor creditori mercium suarum in Polonia esistenti, non potuerit solvere in pecunia minuta; Et cum generaliter præsumatur aliquod semper damnum Creditoris subesse, si solutionem in minori pecunia acceptare teneretur, hinc anno 1559. sub Glorioss. mem. Regimine Ferdinandi Imp. saluberrima emanavit constitutio, vî cuius creditor invitus non tenetur ultra 25. floren. solutionem sibi faciendam in pecunia minuta accipere R. J. *cit. anni §. die jetzt gemeldten.*

Assertio II. Non minus certa & recepta hæctenus interpretum est opinio, si inter debitorem, & creditorem convenerit de certa specie monetæ ad individuum contracta reddenda: ut si Titius à me mutuuum petierit 100. floren. 11

- id quod eidem in 25. optimis cremn: aureis consigno, hoc pacto adjecto: ut summam hanc in totidem 25. cremn: aureis reddere sit obligatus; pactum tale omnimodo esse implendum, cum pacta legum vel honestatis regulis non repugnantia, dent formam ac legem contractibus & ad literam sint implenda *l. 1. ff. de pact.* Covarruvv. *de vet. numism. Collat. cap. 7. §. unice concl. 7.* & cum eo Waizenegger *cit. loc. q. 1. n. 1.* unde si quis expressè stipulatus fuerit, mutuo datos mille florenos in meris lüneburgicis florenis sibi reddi, non tenetur is aliam sortem recipere, ut ut ea eundem valorem habeat; sicut idem, qui pactus est, aurum sibi reddi non tenetur admittere argentum, quamvis probum & ejusdem æstimationis *Frid. Martini de jur censuum c. 5. n. 116. Perez ad Tit. Cod. de Collat. aris lib. 10. n. n. 7.* Ratio est, quia aliud pro alio invito Creditori solvi nequit *l. 7. §. mutui datio ff. si certum petatur.*
- 12 *set.* Nec hoc pactum adjectum alterat essentiam mutui; licet enim ad eandem requiratur, ut convenienter contrahentes de restituenda pecunia ejusdem generis, & non speciei. *Nicol. Moz. de contract. art. 4. §. 5. & seqq.* ac Interpretes communiter cum *Schneidew. Manz. Ignatio Rath. Schambog. Kees ad Tit. 7. quib. mod. re contrab. oblig.* id tamen solummodo intelligitur de specie juridica, & non logica. *Faber de var. numm. debit. solut. c. 2. n. 32.* species autem juridica idem est, quod individuum logicum *D. à Wol- leren. Tr. jurid. de mutuo cap. 1. n. 54. vide fasius Manz. ad cit. Tit. n. 13.*
- 13 Sed quid juris 1. si monetæ species, de qua ad numerum restituenda conventum fuit, notabiliter decreverit, aut 2. ob raritatem suam planè non, vel tantùm difficulter haberi possit?
- 14 *Ry.* Ad I. aliquos, quos citat & sequitur *Berlich Conclus. practicab. p. 2. conclus. 35. n. 28.* hic distinguere an moneta reprobata sit, ut adulterina, an verò solummodò aliam ob causam? si prius? negant debitorem liberari solvendo pecuniam & monetam reprobata, sed eum teneri contendunt, aliam, secundùm antiquæ reprobatae æstimationem substituere, per text. *in l. elegantes 24. §. qui reprobos nummos 1. ff. de pignorat. act.* si posterius? concedunt, debitorem liberari solvendo in moneta reprobata, nisi is in mora fuerit. citantur *Jason. Baldus &c.*
- 15 Sed distinctio hæc, licet multâ interpretum autoritate subnixâ, ex duplici capite non movet, quò minùs indistinctè debitorem liberari putem, si conventæ monetæ numerum Creditori persolvat. *Primo* enim certi juris est, contrahentes ad nihil obligari, quàm servandum, & implendum contractus tenorem, ergo si mutuarius conventam pecuniæ speciem, ut ut deterioratam, reddat, semper liberabitur, cum obligationi à se contractæ ad literam satisfaciât, ultra quàm amplius cogi nequit; Nec hoc iniquum est, cum tam ex parte creditoris quàm debitoris damnum versari possit; etenim si species illæ crescerent, commodum foret creditoris, cur ergo non incommodum, si decrescant? *Gail l. 2. obs. 73. n. 9.* & plurimi alii ab ipso citati. II. quòd ex citato à *Berlichio* textu planè nihil probetur, adeo ut mirer tantum Virum eodem

eodem motum fuisse. textus sic habet: *qui reprobos nummos solvit creditori, an habeat pignoratitiam actionem. queritur? & constat neque pignoratitiâ cum agere, neque liberari posse, quia reprobâ pecunia non liberat solventem* ubi hic vel verbulum, si de certa monetae specie & numero à contrahentibus conventum fuerit? & hinc textus ille est extra oleas majori cum fructu à me postea applicandus, atque ita sentire videntur Molin. de *J. & J. tr. 2. disp. 312. conclus. 2.* Faber de *variis numer. debit. solut. c. 2.* & alii plures, quos citat. P. Layman *theolog. moral. l. 3. sect. 15. tr. 3. p. 1. cap. 5. n. 13.*

Ad II. R. 1. aliquos cum Matth. Coler. de *process. execut. p. 1. cap. 10. n. 16* 17. tradere, creditori hoc casu non posse fieri solutionem in alia moneta, sed debere eidem præstari interesse, quod in conventa specie debitum solutum non fuerit; ubi hanc pariter doctrinam extendit ad casum, quo res quædam pro certa monetae specie alteri cum pacto de retrovendendo vendita fuerat, quod venditor, si moneta ista non amplius foret reperibilis, nullo unquam tempore eandem redimere valeat: ex generali juris regula: *aliud pro alio invito creditori solvi non posse.* allegatur pro isthac sententia (ut videre est apud Berlich. *cit. loc. n. 7.*) præjudicium magni momenti, quod adduco: Imperialis quædam libera Civitas à Principe quodam præfecturam coemerat, cum pacto quidem de retrovendendo, sed simul cum onere, ut ista retrovenditio fiat in certa monetae specie; Princeps postmodum præfecturam hanc reluere volens aliâ quam conventum fuerat pecuniâ (eo quod species conventa nusquam locorum potuerit reperiri) à Civitate repulsam tulit, adeo, ut à Ferdin. Imp. impetrare debuerit facultatem, monetam istam de novo ad conventam quantitatem, cudendi.

Sed huic opinioni se opponit ferè omnium DD. Authoritas. quos longo ordine adductos refert Berlich. *cit. loc. Ratio est,* quod nemo teneatur ad impossibile, & mens contrahentium ad casus insolitos non debeat extendi. Ad regulam à Colero allegatam R. cum Gail. *cit. loc. n. 8.* illam non procedere in casu, quo moneta non amplius reperitur, ex ratione allata; regula enim ista neutiquam generalis est, sed suas patitur exceptiones, & limitationes, quarum 20. tradit Jason in *cit. l. 1. §. mutui datio ff. si. cert. pet. n. 8.* Quod verò attinet allegatum præjudicium, repono illud non esse authenticum, aut certè aliis casum narratum circumfluxis & circumstantiis. cæteroque eidem opponerem sententiam Laymanni qui *Th. moral. Tr. 3. p. 1. cap. 5. n. 14. vers. excipe secundo* cum Communi TT. docet, creditorem, si ipsi ostendi possit, ejus nihil interesse in conventa moneta, an in alia ipsi solutio fiat, teneri recipere solutionem in alia, quam conventa, moneta factam, idque probat. *arg. l. 99. ff. de solut. ibi: Paulus respondit debitorem non esse cogendum in aliam formam nummos accipere. si ex ea re damnum aliquod passurus sit,* ergo cogi poterit, si damnum inde nullum patiatur. & hanc doctrinam judico esse probabilem ac æquissimam, maximè tunc, si conventa moneta non amplius sit, vel tantum difficulter reperibilis; nam si reperiri valeat, cur pactis standum non foret, & creditor juri suo quæsito sine causa sufficienti cedere deberet?

beret? Eam amplectuntur etiam cum Alciat. Pinello &c. Waizeneg. *cit. loc.* Fachin. *l. 7. controu. cap. 49. arg. l. 2. §. Varus ff. de aq. & aq. pluui.* & certè non apparet, quid in cit. præjudicio (uti allegabatur) Civitatis liberæ inter- fuerit, aliam fortè adhuc meliorem pecuniam pro Bohemicis grossis re- cusare?

- 18 R. II. Iterum alios esse, qui cum Joann. Fabr. *ad Tit. Inst. quib. mod. contrab. oblig.* senserunt, debitorem hoc casu planè liberari, ex ratione: quòd debitor certæ speciei semper liberetur specie pereunte, ut habet commune brocardicon, sed in cit. casu mutataris est debitor certæ speciei, ergo illà pereunte liberabitur. Dein solutio facienda est impossibilis, nec stetit per mu- tuatarium, quòd minùs conventam monetæ speciem solvere valeat, ad impos- sibile autem nemo tenetur. Ast hæc opinio iterum à communi DD. atros tulit lapillos, ex ratione fundamentali, quam dat P. Laym. *Th. moral. l. 3. Tr. 3. p. 1. cap. 5. n. 4.* quòd debitor, qui vi specialis pacti teneretur ad solven- dum debitum in certa specie, duplicem contraxerit obligationem: solvendi ni- mirum, & solvendi convento modo in determinata specie; licet jam posterior hæc obligatio cesset, eo quòd istius impletio supponatur esse impossibilis, præ- ter tamen remanet, cum solutio utique adhuc fieri possit; obligationes enim istæ sunt dividuæ, & hinc utile per inutile non vitiabitur. juxta 37. *regulam Ju- ris* Carol. Molinæus *de usur. & contract. q. 91. n. 691.* ex data nunc ratione, Fabri fundamentum se ipso corrui. Non diffiteor enim specie pereunte liberari debitorem certæ speciei, uti patet in commodatario, si res ipsi com- modata sine culpa ejus pereat, sed id solummodò procedit in casu, quo quis tantum obligatur ad speciem, & non simul ad aliquid aliud; instantiam ma- nifestam do in obligatione alternativa hac v. g. equum hunc in individuo tibi promitto aut centum aureos; equo pereunte non liberor à centum aureis, li- cet fuerim debitor speciei. dein solutio in alia moneta non est impossibilis, li- cet aliter convento quàm modo facienda.
- 20 R. denique III. cum Andr. Gail. *l. 7. obs. 73. n. 7. Mynsing cent. 4. obs. 1. n. 6.* specie conventa pereunte, debitorem teneri nihilominus in alia moneta ereditori solutionem facere; quia omnia jura volunt creditori satisfieri, si non hac, saltem alià vià, si non hac, saltem alià monetâ, cum functionem invicem recipiant per *cap. 20. in f. X. de censib.* & ibidem cum Gloss. Abbas *n. 4.* ali- que. Et certè absurdum, iniquum & ab omni ratione alienum videtur, affere- re, creditorem, qui certam monetæ speciem pactus est, & sic suæ indemnita- ti omni modo consulere voluit, per hanc cautelam damnum pati debere, & il- lius mentis fuisse, ut debitum extingueretur, casu quo conventa species periret.
- 21 Cum ergo alià monetâ solvi debeat ad æstimationem conventæ, dubita- ri posset, ad quod tempus hæc æstimatio referenda sit? R. ad tempus con- tractus & bonitatem intrinsecam, quam conventa species habuit tempore con- tractus Gail. *cit. loc.* asserens hanc opinionem communem esse DD.
- 22 Assertio tertia Verùm casu quo debitor promisit solutionem facere v. g. in florenis rhenanis in *guten Râinischen Gulden* & eorum valor postmodum notabi-

notabiliter decreſcat, vel accreſcat, qualis eorum valor præſtari debeat, an is, qui fuit tempore dati mutui, an vero is, qui exſtitit tempore faciendæ ſolutionis? Palmaria eſt difficultas & controverſia decidendo ſanè ardua, maximèque ſubtilis. in qua tres potiſſimùm reperio interpretum ſententias.

I. Distinguit inter mutationem monetæ in- & extrinſecam. ſi contigerit 24
mutatio intrinſeca, docet eum eſſe monetæ valorem præſtandum, qui fuit tempore contractûs, ſi vero extrinſeca, eum dari poſſe, qui viget tempore ſolutionis, ita ſentiunt Joann. Faber *ad tit. Inſt. quib. mod. toll. oblig. Mynſinger. cent. 4. obſ. 1.* Martini, Covarruv. Layman. *theolg. moral. cit. loc. n. 12. & 15.* ſat amplum recensens TT. & Legiſtarum catalogum. Andr. Fachin. *lib. 2. controver. c. 9. & 10.* Oinotomus (ſive Schneidevvinus) *ad §. ſequens. 16. Inſt. de act.* (à quo tamen diſſentiunt *additiones tit. 3.*) Weſenbec. *ff. de reb. cred. n. 58.* Waizeneg. *Q. 2. monetar. q. 2.* & alii innumeri, quos adducit Berlich. *p. 2. conclus. 35. n. 2.*

II. Rejeçtâ hac inter mutationem in- & extrinſecam diſtinctione, tem- 25
pus contractûs ſemper inſpiciendum eſſe contendit, aded, ut commodum aut incommodum omni caſu verſetur ex parte debitoris. ita volunt Beſoldus *conf. 61. n. 40. & conf. 62. n. 6.* Carpozov. *p. 2. conſt. 28. def. 5. & l. 5. reſp. 93.* Berlich. *practicab. conclus. l. 2. conclus. 35. n. 38. & conclus. 36. n. 6.* innumeram aliorum AA. congeriem accumulans Kohl. *exercit. 19.* Brunem. *in Cod. Tit. de veteris numiſm poteſt. n. 8.* aſſerens eam eſſe magis receptam, D. Chriſtoph. de Chlingenſp. *Inſt. quib. mod. re contrah. oblig. q. 12.* & hanc ſententiam ex æquo, & bono hujatem facultatem juridicam in reſponſis ſæpiùs amplexam fuiſſe teſtis eſt Arnold. Rath. *diſſ. de reb. credit. aſſ. 61. & ſeqq.* Harpr. *ad cit. Inſt. Tit. n. 209. & 211.* D. Kees. *eod. n. 16.* quæ ſententia licet utique ſit juri maximè conformis, & ob tantorum virorum Authoritatem alterâ extrinſecè probabilior.

III. Tamen indiftinctè tempus ſolutionis in mutatione monetæ inſpicien- 26
dum eſſe, ſuſtinentem amplecti lubet. Clariùs me explico hoc in caſu: ſi Titius alteri mutuaverit ſummam mille florenorum in aureis rhenanis, & mutuatarius ſe in iisdem ſoluturum receperit; eveniente ſolutionis tempore tot aurei reſtituendi ſunt; quot efficiunt ſummam mille florenorum, ſive aurei extrinſecè, ſive intrinſecè mutati fuerint, ſive valor eorum decreverit, ſive accreverit. Hanc ſententiam, quam (licèt aliàs non multùm receptam) defendunt Geminian. *in Conſil. 137.* Roman. *conf. 123.* Pariſienſis *de contract. q. 100. n. 249.* & alii, quos ſequitur Menoch. *conf. 49. n. 38.* & ſi Carolo Molinæo *in ſua analyſi de monet. mut. q. 100.* credam, Joan. Faber *in Auth. hoc niſi Cod. de ſolut. æquiſſimam nec juri diſſonam eſſe pro ingenii modulo arbitror.*

Primam equidem partem quod attinet, nimirum monetâ extrinſecè mu- 27
tatâ tempus ſolutionis inſpiciendum eſſe, eſt ſententia abunde recepta, & à Variis congruè probata, adeo, ut vix neceſſarium ducereim eam ulterius evincere: ſequentia tamen fundamenta adducere non erit ſupervacaneum.

I. Probatur ex generali conſuetudine de qua teſtantem conſule Menoch. 28
cit. conf. 49. n. 19. Socin. ſenior. *conf. 6. l. 1.* & alios apud Fachin. *controver. l. 2. c. 9.*

6. 9. *vers. septimum argumentum* Waizenegg. *cit. loc. q. 3. n. 4.* vi cuius omnia debita etiam antiquissima secundum valorem extrinsecum tempore solutionis currentem solvuntur. nec ullum ferè Creditorem reperiri testis est idem Waizenegg. qui rationem habere velit æstimationis, quæ fuit tempore contractus.

Quorsum etiam accedit Constitutio Ferdinandi I. p. m. Imperat. quæ in Comitibus emanavit 1559. *Rubr. und seynd diß die fremde silberne 2c. §. hierauf 2c.* ubi statuitur non obstante, quod aureus Rhenanus extrinsecè auctus fuerit, debitores solvere posse hisce aureis secundum auctum valorem extrinsecum, ergo mutatâ monetâ inspiciendum est tempus solutionis; cum utique consuetudo præsertim approbata vim legis habeat.

29 *Confirmatur* hæc opinio à P. Laym. *cit. l. 3. sect. 5. p. 1. cap. 5. n. 15. vers. hæc assertio:* ideo monetarum valor extrinsecus augetur, ut juxta eum regulentur commercia; & solutiones qualem aliàs habebit hæc mutatio finem? ergo si ista auctio vel diminutio iusta fuerit (uti semper præsumitur) tenetur debitor & potest secundum eam solvere.

30 II, Efficaci hac ratione, quod natura justitiæ commutativæ exigat, ut inter acceptum & reddendum sit maxima & arithmetica æqualitas, sed in sententia contraria non esset arithmetica æqualitas inter acceptam & reddendum, ergo? *prob. min.* & pono hanc facti speciem: Mævius mutuos dat Cajo mille florenos in ducatis Hungaricis valentibus tunc temporis v. g. 4 fl. ac Cajo contra se in iisdem soluturum recipit. Postmodum inopinatò ducatorum valor extenditur ad 5. fl. vel ad 3. diminuitur: jam si in solutione hisce ducatis facienda, deberet inspicere tempus contractus, in priore casu, ubi aucti sunt aurei ad 5. fl. debitor pro acceptis tantum mille fl. teneretur 1250. restituere; in casu posteriore verò, ubi diminuti sunt, Creditor obligatus esset minus acceptare, ac dedit; dedit namque in 250. aureis mille florenos, & teneretur in totidem aureis tantum 750. fl. recipere, sed sic esset maxima inæqualitas inter acceptum, & reddendum ergo? ex quo fuit etiam hoc fundamentum: in mutuo plus non requiritur, quam ut eandem, quam mutuam accepit summam, restituant, sed solvens secundum æstimationem extrinsecam tempore solutionis currentem restituit eandem summam quam accepit; ut patet ex adductis exemplis. Ergo?

31 III. Ex sententia contraria sequeretur absurdum hoc: quod quis ex beneficio suo sentiret incommodum, sed hoc nequit admitti: ergo? *prob. maj.* in casu posito, quo Mævius mutuos Cajo 250. aureos, ad 3. fl. diminutos teneretur pro 4. fl. accipere, utique maximum pateretur dispendium, cum illos si non dedisset mutuos, expendere potuisset pro 4. fl. & desuper lucrum faceret debitor, cum aureos expendere potuerit juxta valorem, qui fuit tempore contractus, & insuper debitor frueretur usurâ temporis ac beneficio; ergo ex sententia altera sequitur hoc absurdum.

32 Argumenta reliqua, quia passim in Authoribus trita sunt, ex variis textibus à longè petita & sæpius fortè ad causam parùm momenti conferentia, lu-
bens

bens prætereo, & ad alteram partem minùs hucusque receptam transeo, eamque demonstro.

I. Ex l. 1. ff. de contrab. empt. ubi dicitur, quòd in pecunia non consideretur ipsa substantia, sed tantùm quantitas, ibi: *eàque materia formâ publicâ percussa usum Dominiumque non tam ex substantia, quàm ex quantitate præbet.* 33
 nomine substantiæ autem probabiliùs hic venit ipsum pondus, & bonitas auri vel monetae, nomine quantitatis autem, æstimatio publica ac monetae valor extrinsecus: cujus signum sit nota, & Character nummo impressus; uti cum Buddæo, Duaren, & aliàs communi contra paucos defendit Gothofred. in not. ad h. l. 1. ex qua lege nunc sequens argumentum texo: si in pecunia non consideretur bonitas intrinseca, sed solùm extrinsecus valor, tunc sequitur partes contrahentes non ad illam, sed unicè ad quantitatem hoc est valorem impositum respexisse, & hoc solùm inter illos actum esse, ut ea quantitas, quæ mutuo data est, reddatur, sed si solutio fiat in conventa moneta licet intrinsecè depravata, eundem tamen valorem extrinsecum adhuc præ se ferente, redditur data quantitas, & adimpletur intentio contrahentium: ergo licet bonitas intrinseca mutata fuerit, inspicì poterit tempus solutionis.

II. Debitor solvens in moneta intrinsecè depravata, extrinsecè tamen 34
 adhuc eadè, satisfacit obligationi à se contractæ, ergo potest in ea solvere. Prob. ant. obligatio quam mutuarius contrahit, hæc est: ut restituat eam summam quam accepit, sed huic obligationi satisfacit solvendo in tali moneta, ut patet; nam licet ducati in pondere & bonitate intrinseca decreverint, si tamen communiter pro 4. fl. recipiantur, restituuntur iidem 4. fl. quos acceperat debitor, ergo satisfacit suæ obligationi; *subsumo*: sed nemo tenetur in plus, quàm obligatio ipsum adigit. ergo?

III. Redit idem argumentum priùs propositum; si enim debitor teneatur eandem bonitatem intrinsecam restituere, quam accepit, in plus sæpiùs teneretur; se hoc nequit dici, ergo? prob. maj. ponamus, eosdem aureos intrinsecè diminutos esse ad medium florenum, si nunc debitor juxta sententiam contrariam teneretur 4. fl. in aureis currentibus solvere, & insuper medium florenum supplere & sic 4½ reddere, in plus teneretur, quàm accepit; 4. enim tantùm florenos accepit, & aureos (ut ut intrinsecè meliores) pro 4. solùm fl. expendere potuit, ergo? hoc putem iniquum, & palliatam usuram: præfertim cum creditor recipiendo depravatam intrinsecè monetam, nullam damnum sentiat, sed illam eodem pretio (ut suppono) quo dedit, rursus possit expendere. 35

IV. Sententia hæc communiter est in praxi recepta, de qua testantur varii apud Fachin. cit. l. 2. cap. 10. vers. quintum argumentum. & ipsi adversarii cum P. Laym. & Waizenegg. q. 4. n. 9. fatentur eam in usu forensi, præfertim in Bavaria, & aliis vicinis provinciis observari, imò & in ipsa Imperiali Camera obtinere, ac debitores solvendo monetas juxta currentem valorem omnimodò liberari, ergo cur hæreamus eam in Theoria pariter amplecti, suis alioquin rationibus minimè destitutam? Probè novi, quid ad 37
 hanc

hanc consuetudinem reponat cit. DD. præsertim Laym. & Waizenegg. nimirum eam non obtinuisse, quasi opinio, quâ innititur, iusta sit; sed quod ob litium aliàs oriendarum multitudinem non liceat aliud decernere. Emim verò responsionem cedro dignam? hoc enim ipso, quòd afferunt, sententiam hanc in iudiciis ad lites amputandas observari debere; affirmant pariter eam alterà esse probabiliorem: *probabilis* enim sit oportet, alioquin iudex eam temerariè amplecteretur; *probabilior* inde evadit (abstrahendo à controversia: an iudex teneatur sequi sententiam probabiliorem, de qua vid. Prænob. & Magnif. D. H. A. de Chlingensp. *in dissert. de oblig. jur. Civil. in conscient. q. ult. R. P. Alphons. Wenzl in Q. Theolog. de formand. prud. dictam. conscient. Q. 7. S. 2. Clariff. & Ampliff. Dilinganæ Universitatis Cancellarius P. Paul. Zetl in Cleric. Curat. Tom. 2. Instr. 3. in iudice S. 38. A. R. P. Mass. Kresling. in disquis. theolog. de probabil. Q. 2. S. 2.*) quòd eidem accedat utilitas publica; quem enim aliàs finem sibi Legislator noster proposuit, nisi utilitatem communem & publicam, quæ non minima ex parte promovetur per obstructionem litium frequentia.

- 38 V. Sententia contraria Principis auctoritatem non nihil obscurat, ergo non est amplectenda. *prob. ant.* in sententia contraria semper in iudicio probari & discuti deberet, an, & in quantum monetæ intrinseca bonitas pondus metallique natura, deteriorata, amputata, & adulterata fuerint, ac juxta eum defectum publicæ sententiæ ferri; sed hoc obscurat Principis Auctoritatem & decus, ergo? *prob. min.* nam maximum Principis opprobrium esse (nisi publica id suaderet utilitas, quod tamen rarò fiet) censent omnes Politici, si monetam intrinsecâ bonitate spoliet, extrinsecum valorem cupræ plerùmque massæ fatis magnum pro lubitu imponat, ad unicum ærarii sui emolumentum; adeo, ut hæc monetarum intrinseca mutatio plurimis jam tum vicibus miseram provinciarum ruinam pepererit. Quorsum legi meretur oratio, non quidem tersa, sed nihilominus docta & scientifica, de monetarum corruptione, quam in actu Doctorio solenni 14. Jul. 1623. in universitate Tubingenfi habuit Joan. Harpr. eamque annexuit *Commentario suo ad Inst. tit. de public. jud. S. 7. n. 84.* ubi ex Eniman. Meterani *annalibus belgicis n. 90.* refert, monetæ mutationem inter confederatas belgicas provincias discordiis civilibus initium præbuisse, & Joannem Bohemiæ Regem Dubravio teste L. 17. adulterinâ monetarum variatione publicam sibi seditionem parasse, cum ex hoc vulgi clamor elevari cœperit, quod cuprea materia & corrupta nummorum forma impediunt omnia venalium rerum fora.

- 39 Unde non immeritò ingentem laudem ab universo literario orbe retulit Philippus sapiens Hassiæ Landtgravius, hocce suo oraculo: Virum Principem à plebejo triplici hac nota distinguendum esse: *viâ publicâ* quam tutam & fartam præstet, *sermone veraci* quem factis compleat, & *probâ monetâ* quam illibatam servet. Quorsum emicuit iste versus,

Una fides, pondus, mensura, *moneta* sit una
Et status illæsus totius orbis erit.

Operæ

Operæ pretium nunc erit ad lancem appendisse, & expendisse argumenta; 40
quibus sententia contraria quò ad ultimam hanc partem circum fluit.

I. à Fachin. *cit. l. 2. cap. 10.* adducitur difficilis textus *in cap. cum Canonicis* 41
de censib. ibi: cum Canonicis majoris Ecclesiæ quamdam summam pecuniæ pro pensio-
ne Ecclesiæ tuæ debitam aliquot annis persolveris, & iidem summam illam ex integro
de meliori moneta exigant sibi solvi: tibi damus literis nostris in mandatis, ut Cano-
nicos illos solutione prioris pecuniæ, vel si non sit in usu, æstimatione pensionis antiquæ
facias manere contentos. Quod capit: clarè decidere, mutatâ intrinsecè mo-
netâ tempus contractus inspiciendum esse, fusè probat laudatus Author.

Capitulum istud sine dubio difficultate suâ non caret, attentius tamen 42
consideratum haud multùm ad rem facit. Utque istius sensus cuilibet abunde
pateat, notare volui, in isto duplicem casum decidi. *prioris* hanc pono F. spe-
ciem. Mævius Ecclesiæ cujusdam Antistites obligatus erat, annuè certam pe-
cuniæ summam persolvere Canonicis majoris Ecclesiæ; evenit postea, ut Ca-
nonici hanc summam in meliori intrinsecè moneta noviter cusa (existente in
usu adhuc pristinâ) exigent; quod dum renuebat antistites; S. Pontifex ju-
stissimè decidit, Canonicorum petitionem esse iniquam, eosque solutione con-
suetæ monetæ debere esse contentos; *posterioris* istam assigno: Canonici in
dicto casu, abrogatâ pristinâ usuali moneta, debitum in meliori de novo casu
tam in extrinsecò quam intrinsecò valore auctâ moneta exegerunt, ubi rur-
sum rectissimè decisum est, Canonicos non audiendos esse, eo quòd amplius,
quam eis debetur, postulent. Igitur neuter casus ad propositam quæstionem
applicari potest, cum eò tantùm opinio mea tendat, Creditorem monetâ in-
trinsecè depravata (vel etiam auctâ, quòd tamen rarius continget) eandem ta-
men extrinsecam æstimationem retinente, teneri solutionem in illa factam ac-
ceptare, cum in ista summam sibi debitam, æquè ac in pristina, recipiat.

Quam responsionem licet Fachinaeus improbet, eo quòd nimis durum, 43
& absurdum ipsi videatur, existimare Canonicos illos meliorem monetam exe-
gisse, quæ simul etiam majoris esset valoris extrinseci, cum sic plùs debito exegissent
& S. Pontifex eos utique pro more aliàs solito redarguisse censendus foret. Eam
tamen evidenter inde colligi arbitror, quòd textus dicat: *vel si non sit in usu,*
eos æstimatione pecuniæ antiquæ facias manere contentos, nam si tantum anti-
quæ pecuniæ æstimatio ipsis solvenda veniat, utique ab ipsis quidquam postu-
lari debuit, quòd æstimationem illam transcendit. Æstimationis autem no-
mine extrinsecum valorem venire patet.

II. Ab eodem Authore ita necitur: Creditor de jure non cogitur in ali- 44
am formam, quàm convenit, pecuniam recipere, ubi damnum passurus est.
l. Paulus ff. de solut. ergo similiter non cogendus, ut pecunias recipiat dete-
rioris materiæ, si damnum passurus est, quia nulla diversitatis ratio potest as-
signari; atqui verissimiliter damnum hic passurus foret creditor, tum quia mo-
neta deterioris conditionis facile minuitur, tum etiam quia non tam facilè ex-
pendi potest, ergo? *¶.* summam esse differentiam inter casum quo debitor
vellet solvere in quacunque moneta contra conventionem de certæ monetæ specie

reddenda factam, & inter casum nostrum; in priore enim utique non tenetur aliam monetam acceptare, si damnum inde patiat, ideo, quod debitor contraveniret pacto, quod tamen ad literam implendum esse & contractibus formam, ac legem dare jura statuunt. *l. 1. ff. de pact.* Waizenegg. & Covarruv. *loc. supra n. 1. cit.* Econtra in nostro casu debitori in conventa moneta (licet intrinsicè depravata) solvere paranti objici nequit, ejusdem intrinsicæ mutatio, eo quod pacto suo de restituenda tali & tali moneta ad amissim satisfaciatur. *Ad subsumptum* dico imprimis extra Rhombum quæstionis versari Fachinæum, si ponat casum, ubi moneta deteriorata esset difficilioris expensionis cum jam superius *n. 37. in f.* notaverim, & supposuerim, monetam intrinsicè mutata, cum priore debere esse ejusdem valoris, cursûs & bonitatis extrinsecæ, aliàs utique debitor obligationi suæ non satisfaceret plerumque ita conceptæ: **in guten gangbahren v. g. Rhainischen Gulden etc.**

45 Dein licet subesset aliquod creditoris damnum, istud tamen ex duplici ratione non venit in considerationem. I. quod contrarium postulet publica utilitas, quæ exigit juxta valorem currentem regulari commercia ac solutiones hominum & pariter lites, atque controversias, quantum possibile est, minui, quarum millenæ eæque absurdissimæ exorerentur, si quælibet intrinsicæ monetarum depravatio in judicio disceptari, ponderari, probari, & secundum eam judicari deberet, plerumque in non levè Principis opprobrium, uti supra ostensum est. II. Quod damnum istud contingeret merè per accidens, & debitori æquè commune. Finge enim intrinsicam bonitatem esse auctam, atque hoc casu pariter debitori incumberet obligatio debitum in ea solvendi.

46 Ad manus venit argumentum tertium, quod instruit Waizenegger. *cit. q. 4. n. 4.* hoc modo: si Creditor convenisset, ut solutio fieret in eadem bonitate intrinsicâ, pactum hoc deberet servari uti supra in *assert. 1.* dictum est, ergo etiam in hac quæstione solutio fieri debet in eadem bonitate intrinsicâ, *consequentiam probat*, sicut in priori casu expressè id conventum fuit, sic etiam hic contrahentes tacitè censentur esse pacti, ut pecunia ejusdem generis & bonitatis intrinsicæ solvatur, quâ datum est mutuum, ergo etiam in nostro casu &c. cum eadem vis sit tacitæ conventionis, quæ est expressæ, & aliàs in contrahendo mutuo, quod agitur, pro cauto, & convento habendum esse statuat Pomponius *in l. ff. de reb. credit. R. N.* conseq. differentia superius jam assignata est. *ad probationem* dico, gratis & absque sufficienti fundamento à *cit. auth.* & aliàs communiter asseri: tacitam hanc esse contrahentium conventionem; contrarium enim supra in ratione prima probatum est, contrahentes ad solam extrinsecam æstimationem ex qua pecunia usum unice præbet *cit. l. 1. ff. de contrab. empt.* respexisse, præsertim cum prudenter somniare non potuerint, intrinsicum valorem forsitan mutandum esse; quod si tamen hoc prævidere potuissent, imputent sibi, quod cautiùs non processerint, nec legem sibi clariùs dixerint. Et ideo hocce adversæ sententiæ commentum non immeritò quis inter somnia vigilantium retulerit.

IV. Ra-

IV. Rationem fundamentalem depromere se putat Laym. *Theolog. moral. l. 3. Tr. 3. p. 1. c. 5. n. 19.* ex natura justitiæ commutativæ, sic arguens: 47
justum est, ut in omni debito tantundem in ea specie, genere, qualitate & bonitate solvatur, sicuti in obligationem deductum est; sed qui accepit v. g. mutuos mille florenos Rhenanos, debitor factus est talium florenorum, sive in specie sive in genere, quales tempore contractus in usu erant, ergo si postea deteriores floreni cudantur, solutio in iis fieri nequit, sed veteres quales promissi, aut secundum æstimationem veterum, solvendi sunt; idem esse ait in legante, vel donante v. g. 100. fl. licet enim ab iis non deducatur in obligationem, monetam ejusdem bonitatis intrinsecæ solvendam esse, quæ eo tempore in usu fuerat, semper tamen præsumitur donatorem, vel testatorem loqui de moneta, qualis eo tempore fuit usitata.

R. Imprimis allatum syllogisimum impingere in regulas bonæ argumentationis; minor enim sic poni debuisset: sed qui accepit mutuos, v. g. mille florenos, in obligationem deduxit, quod velit totidem ejusdem bonitatis intrinsecæ solvere, ergo &c. & sic evidenter falsa est, uti suppono hoc in pactum neutiquam deductum fuisse. Dein hoc non obstante N. min. nec enim, ut ut libenter vellem communiori sententiæ me conformare, sufficientem rationem ex AA. hucusque citatis deprehendere potui, cur contrahentes in mutuo ad bonitatem intrinsecam respexisse, & de ea in specie restituenda tacite pactos fuisse dici debeat, aut valeat? non enim id fit *ex natura rei*, quia ut jam sæpius dictum est substantiam intrinsecam pecuniæ nihil ad sui mutuum conducere, sed usum unice ex æstimatione, & impositio valore præbere non uno loco sat clarè leges expriment. *neque ex intentione contrahentium* quia ii rectè præsumuntur se externo solum valori accomodasse, præsertim cum de intrinsecâ bonitate mutanda prudenter cogitare non potuerint. Idque eò magis in legato, vel donatione procedere existimem, quod aliunde pateat in hisce non adeo strictè procedendum esse, utpote ex mera liberalitate donantis, vel testantis proficiscentibus nec iterum congrua ratio assignari valeat, cur hæres non satis faciat, præstando debitum in moneta tempore aditæ hæreditatis currente.

V. Laudatus Author *cit. loc. n. 20.* hancce paritatem videtur adstruere: 49
in contractibus onerosis v. g. emptione, venditione, moneta ejusdem bonitatis intrinsecæ præstanda est, quæ fuit tempore initi contractus, nec poterit emptor venditori in moneta deteriori postmodum cura solutionem facere, ergo idem erit in mutuo *prob. conseq.* ideo id procedit in contractibus onerosis, quia aliàs non daretur justum mercis pretium, cum domus vel ager venditus, diminutis interea florenis, non mille sed forsan bis mille constitisset, & sic minus daretur, quàm natura contractus hujus postulat; sed etiam in nostro casu si v. g. dati sint floreni argentei, & postmodum cudantur alii multo ære mixti & in iis solutio fieret, redderetur minus quàm postulat natura mutui, quæ exigit ut tantundem reddatur secundum idem genus, & qualita-

tem., ergo si id procedat in contractibus onerosis, etiam locum inveniet in mutuo.

50 Sed paritas hæc in spongiam incumbit, nam primò ista versetur extra oleas; ideo quidem, quòd ponatur facti spec. ubi venditor grave damnum, ad dimidium usque, per solutionem deterioris pecuniæ sentiret, meus autem casus eo unicè collimet, si Creditor dispendium inde nullum patiat, sed monetam deterioratam eodem valore, quo accipit, expendere valeat.

51 H. N. A. & cum Communiore dico inter contractum onerosum v. g. emptio- nis, & venditionis, & inter contractum mutui hoc in passu nullam (cæteris paribus) differentiam esse faciendam, prout etiam agnoscit Fachin: *controv. jur. l. 2. cap. 10. vers. quod attinet ad tertiam* citans Aret. *conf. n. n. 3. Beroum conf. 143. n. 25. 26. 27. l. 1.* & hinc, si v. g. ante duos annos domum emerim mille florenis, & moneta intrinsecè mutata fuerit, eosdem in moneta hæc solvere non prohibeor, modò venditor inde damnum non sentiat, puta: si Creditor extra Territorium hoc commerciis suis invigilare deberet, ubi moneta deteriorata tantum non posset expendi, quantum deberet acceptari, aut si cum fundamento & gravi ratione timeretur, ne moneta paulo post etiam extrinsecè decresceret; tunc enim (sicut in mutuo) sic etiam in aliis onerosis contractibus non libera- ridebitorem in depravata moneta solventem planè judico. Et hæc de abstrusa & plane difficili materia, pro instituti ratione, breviter dicta sufficiant. Qui vero plenioris rei monetariæ cognitionem sibi comparare desiderat, egregium & doctissimum literatissimi Viri Flenderi Jurium L. & Celeberrimi Cameræ Wezla- riensis Advocati Tractatum, non multis ab hinc annis editum, consulat, ubi potissimas & difficillimas controversias circa materiam hanc oriri solitas, subtiliter & scientificè elaboratas nec minus fusè quàm solidè dis- cussas atque digestas inveniet, ad plenissimam gustus & literariæ orexis suæ satisfactionem.



QUÆ-



QUÆSTIO VI.

Utrum Clausula derogatoria priori testamento adjecta effectum suum consequantur: ita ut posterius testamentum nullum sit, si eisdem inibi derogatum non fuerit?

SUMMARIA.

1. ponitur casus controversiæ 2. 3. afferuntur DD. clausulam derogatoriam nihil operari sustinentes eorūque fundamenta. 4. adducuntur alterius sententia Patroni iisdemque subscribitur. 5. 6. 7. 8. 9. adducitur pro fundamento primario l. 22. de leg. 3. & refelluntur responsiones, à Cujacio Fabro, Arena, Merenda date, 10. 11. validum argumentum ducitur. ex l. conficiuntur §. fin. ff. de Jur. Codicill. & contra Merendæ assultum immune redditur. 12. 13. paritas desumitur ex l. 12. ff. de leg. 1. & assignatam à Merenda differentiam inanem esse ostenditur. 14. 15. 16. sententia hæc efficaci ratione & demonstratione instruitur. 17. solvitur difficilis textus in l. divi §. licet. ff. de jur. Codicill. 18. duplex datur responsio ad II. adversariorum objectionem. 19. 20. rejicitur communis ad l. fin. ff. de leg. 2. Responsio & alia adstruitur. 21. demonstratur, quâ ratione verum sit illud: quod postremò placuit inspiciendum esse, 22. testamentum nadâ aliquando testatoris voluntate infringi potest. 23. nemo censetur ultimæ suæ voluntatis elogium oblivioni tradere. 24. declaratur quid juris sit, si aliunde constet testatorem voluisse derogare clausulæ? 25. & quid obtineat, si id reipsâ voluisset, de quo tamen legitime non constaret?

Impresentiarum quæstio se præbet nobilissima tum in scholis, quàm in foro maxime dubia. cujus accuratori disquisitioni ansam mihi præbuit, inopinata desuper cum literatiore eoque doctissimo Viro habita contentio, qui negativam viribus omnibus & summo Zelo defendebat. Ego tam ejusdem amicitia, quam etiam aliis lectoribus rem me non ingratham facturum esse existimo, ubi Controversiam hanc in paucis forsan libris inveniendam & in iis etiam obiter solum discussam, ad veritatis lancem severiori trutinâ appendero. Quod igitur præstaturus ad majorem illius intellectum sequentem pono

pono facti speciem: Mævius cælebs consanguineis quidem abundans, sed sanctiori ductus spiritu, Ecclesiam universorum bonorum scribit hæredem: metuens autem, ne in vitæ termino constitutus importunis consanguineorum precibus eò moveatur, ut supremum voluntatis suæ elogium in eorundem favorem mutet: ex consilio administratoris Ecclesiæ testamento suo inserit clausulam derogatoriam, ita instructam: *testamentum hocce, quovis tempore observari volo, ita quidem, ut licet ex post intervallo contigerit, me aliud conditurum esse, illi tamen effectum omnem denegem, nisi in eo expressam hujus mea clausula mentionem faciam*: quo facto Mævius repentino morbo obruitur; accurrunt agnati, fient mulieres, eumque rogant, ut ad evitandas ratione hæreditatis forsitan orituras, consanguineos autem vel maximè dedecentes lites, de bonis suis disponat. Mævius ne adstantes consanguinei dispositionem suam priorem subdorentur, clausulæ suæ adhuc (de quo non dubito) reminiscens, ut eorum precibus, & mulierum lacrimis moribundo invisissimis morem gerat, facit convocare judicem, eique testamentum in favorem orantium agnatorum conditum offert: Et rebus humanis eximitur; quo sepulturæ tradito consanguinei hæreditatis possessionem capiunt, à qua tamen impediuntur ab Antistite Ecclesiæ exhibente testamentum prius in favorem suæ Ecclesiæ factum, derogatoria clausulâ instructum: *quod posterius non sit valiturum, si prius expressè revocatum non fuerit*. Res devolvitur ad iudicium, ubi nunc quæritur, quorum causa sit potior, consanguineorum, an Ecclesiæ?

2 Clausulam derogatoriam nil operari, & sic consanguineos in dato casu Ecclesiæ præferri, volunt magni nominis Doctores illustra hujus Universitatis Lumina Arnod. Rhat. *quest. Illust. de Anno 1627. assert. 10.* Christoph. de Chlingenberg. *Inst. tit. quib. mod. testam. infirm. quest. 10.* Item in *diss. jurid. de Circul. in mat. pignorat. oriri solit. parerg. 8.* quibus adstipulantur Faber *de errorib. pragmat. 37. error. 7. 8. 9. & 10.* Hilliger in *Donell. l. 8. cap. 4. lit. E.* Menoch *tr. de præsumpt. præsumpt. 8. n. 27.* & alii plures ab his citati. omnium autem fusissimè pro hac sententia perorat JC. Italus verè magnus & forsitan nimiam subtilis, de suis tamen controversiis orbi literario acceptissimus Ant. Merenda *contr. jur. l. 4. cap. 49. per tot.* & ubi tam DD. gravis Authoritas, quàm rationum & textuum numerus sententiam faciunt probabiliorē, hæc præferenda omnino videtur. Eam sic probant:

3 I. Expresso textu in *l. Divi. §. licet ff. de jur. Codicill. ibi. licet in confirmatione Codicillorum Pater familias adjecerit: ut non alios valere velit, quàm suâ manu signatos & subscriptos tamen valent ab eo facti Codicilli, licet neque ab eo signati neque ejus manu scripti fuerint, nam ea* (notetur ratio generalis) *quæ postea geruntur, prioribus derogant.* Ex hoc textu sic argumentantur: Clausula, quam testator in confirmatione Codicillorum ibidem apposuit, est derogatoria, ut patet; sed ista non fecit, quo minùs posteriores Codicilli non valuerint, ergo neque in testamento similis clausula id operabitur, ut posterius effectu destituatur; Neque JC. in *cit. l. tractat,* de aliqua solummodò specie clausularum, aut quæstione suis circumstantiis arctata; Nam & ratio addita: *ea quæ postea geruntur*

runtur prioribus derogant est generalis, consequenter & huic casui aptanda, & simul casus iisdem circumstantiis regitur; cum dicta clausula à testatore codicillo temerè, ut ait Merenda *cit. loc.* non fuerit inserta: verebatur enim Codicillans (ut pergit nobilis author) ne falsi subicerentur codicilli, & ne aliquorum precibus induceretur ad codicillos alios condendos præter animi sui sententiam, & hinc clausulâ hac usus fuit, ut tam occasionem falsos codicillos fabricandi præscinderet, quàm etiam eos eluderet, qui eum ad alios faciendos importunis precibus aliàs adacturi forent. Rhat *cit. loc.*

II. Ratione hac depugnant D. Rhat, & Merenda *cit. loc. n. 5.* Clausula derogatoria est planè inutilis, & supervacanea, ergo frustra testamento apponitur. *probant ant.* si illius clausulæ aliqua foret utilitas, hæc esset: quod opere istius priori testamento insertæ, Testatori facillimum sit preces & lacrymas affinium eludere, eosque vanâ in hæredes institutione à mortuali lecto arcere: sed hæc utilitas tantùm est imaginaria, imo nulla, ergo. ? *maj. probant.* facillè erit importunitati Amicorum, vim hujus providentiæ avertere; nam cum DD. uti ait Menoch. *cit. tr. pres. 160. n. 34.* alias jam clausulas excogitaverint, quarum potestate derogatoriæ inanes reddantur, sine dubio curabit hæres, ut aliqua ex his clausulis secundo testamento adjiciatur; præsertim eo quòd Notarii publici praxin circa clausulas derogatorias versantem optimè calleant; ponamus nunc Notarium super insertione talis clausulæ efficacioris animum testatoris tentare: vel iste se monstrat difficilem vel non? si difficilem se exhibeat, confestim vel ex hoc suspicabuntur hæredes aliud testamentum cum clausula derogatoria conditum fuisse, quod ubi odorati fuerint, vix erit imò ne vix quidem, ut Testator propter importunissimas illorum, spem hæreditatis maximam sibi affulgere videntium, preces in priori voluntate sua persistat; si verò facilem & in hoc se præbeat, ut priori clausulæ per fortiozem aliam derogetur: prior iterum inanis erit, & hæredes finem suum obtinuerunt. ità cit. DD. & pulcherrimè, uti aliàs, Arnold. Rhat. *cit. loc. lit. B.* quæ demonstratio ipsum magis ac textus allatus, in hanc sententiam traxisse videtur.

III. Sententiam hanc probant ex *l. fin. pr. ff. de leg. 2.* in quo casus iste ventilatur: Testator in testamento hæredibus suis significaverat: quod si post mortem ejus quid *obsignatum* recepissent, id vice Codicillorum valeret; contigit autem Epistolam post testatoris obitum manu ejus quidem scriptam, sed non *obsignatam* inveniri, quâ quidquid in peculio habuit filius, ei relinquitur. In casu hoc valdè dubitabatur: an filio peculium ex hac epistola (cum ea non fuerit obsignata, quod tamen expressè voluit testator) præcipuum debeatur? & respondit Scævola in *cit. l. si fides relicta Epistola constaret: deberi, quæ in ea dare se velle testator significavit.* Ex hac facti specie patet clausulam derogatoriam: *ut Codicilli posteriores non valeant: nisi obsignati,* effectu omni destitui, ergo & à pari licet testamento priori clausula derogatoria adjecta fuerit, posterius tamen ritè & omnibus solemnitatibus instructum, effectum suum consequetur.

IV. Suprema hominum voluntas usque ad mortem ambulatoria est,

L

l. 4.

l. 4. ff. de adim. leg. Et hinc meritò, quod postremò placuit, inspiciendum est. *l. sancimus Cod. de testam. l. 2. ff. de injusto rupto.*

V. Sicut nudâ voluntate testamenta constitui nequeunt, itâ nec tolli, aut quo minùs fiant impediri, si cætera omnia legis requisita concurrant *arg. l. nemo potest. 55. ff. de Leg. 1. l. si quis in pr. ff. de Leg. 3.* ergo clausula derogatoria nudâ solùm voluntate constituta, non operabitur, ut testamentum posterius effectu careat; nec fereedum est, uti putat Rath *cit. loc. eum*, qui coram tot testibus mentem suam solemniter explicavit, negari postmodum animum testandi habuisse; ac non potiùs prioris clausulæ, vel ex temporis longinquitate, aut morbi, quo forte premitur, gravitate, aut ex quacunque causâ oblitum, ipsam in speciem non revocasse. Neque præsumi illico poterit voluntatem abesse; voluntas enim humana naturâ suâ valdè instabilis est, secundùm Evangelium *nōnne sunt duodecim hora diei?*

4 Adductæ hucusque rationes sufficere quidem possent, ut ad assensum hisce DD. præbendum quempiam allicerent; attamen, si æquitatem, & testatoris mentem præ oculis, ut decet, semper habere cupiamus, sententia affirmativa derogatoriæ clausulæ vim suam tribuens (disputandi saltem gratiâ) probabilior longè videtur. Pro qua licet non adeo multi militent interpretes, in eam tamen proclivior est Fach. *Ctrovers. jur. lib. 4. cap. 92.* citans. *Angelum, Paulum, Castrens. Alexandr. ad l. 2. ff. de lib. & posthum.* Covaruv, *ad rubric. de testam. in 2. p. n. 19.* Mantican *de conjectur. ultim. volunt. l. 4. tit. 9.* quorum Autoritati lubenter adstipulor, & sententiam hisce rationibus fulcio.

5 I. Fundamentali textu *l. 22. de leg. 3.* qui sic sonat: *si quis in principio testamenti adscripserit: cui bis legavero, semel deberi volo; postea eodem testamento, vel Codicillis sciens sepè eidem legaverit: suprema voluntas potior habetur, nemo enim eam sibi legem potest dicere, ut à priori voluntate ei recedere non liceat*, hucusque bellè pro Adversariis; at rem totam sequentia verba perdunt: *sed hoc ita locum habebit: si specialiter dixerit prioris voluntatis se penituisse, & voluisse, ut legatarius plura legata accipiat.* Quo textu quid ad rem meam apertius, quid clarius sit, certè non video. Certè si hæc dispositio procedat in casu *cit. l.* cur eadem non pariter locum habebit in testamento? disparitatem evidentem indagare non potui; si enim in priori, præambula protestatio facta efficiat, ne legatum secundum existimetur datum esse ex animi sententia, nisi mutatae voluntatis specimina exhibeantur, ita quoque protestatio de testamento posteriori, clausulâ nisi revocatâ, non valituro efficiet, ut posterius simulatum censeatur, nisi voluntatem Testatoris expressè mutatam esse apponatur.

6 Adversarii tamen ut textûs hujus vim effugiant, & differentiam datorum casuum assignent, mirum in modum se torquent. Cujacius quidem (si credam Merendæ *lib. 14. cap. 7.*) quem sequitur Faber *cit. loc. error. 8. n. 17. cit. legis* constitutionem, quod scilicet specialis derogatoriæ clausulæ revocatio requiratur, non JC. aut LLatori, sed Triboniano tribuit; Verùm hanc Respon- sionem (quam vix à temeritate & injuria SS. legibus illata excusarem; nisi eam darent

darent Viri, de iisdem, & universo orbe literario tam egregiè meriti) ipse Merenda improbat; partim, quòd hocce Cujacii commentum omni penitus fundamento carere videatur; partim quòd clarum sit, cum testator in testamento protestatus sit: ei semel tantum legatum præstandum esse, cui bis legaverit, abundè declaratum esse, quomodo in præstatione legatorum observari veniat; quàm declarationem licet mutare potuerit, hæc tamen mutatio probanda est, quod non fit per hoc solum, si testator pluries eidem scienter legaverit, sed etiam, quòd legatum hoc ulterius non obstante priori declaratione præstandum esse voluerit. Quæ à Merenda data solutio in casu meo maximè etiam pugnat, & sententiam hanc multa ex parte roborat, uti patebit consideranti.

Aliam sed adhuc imbeciliorem, & verè arenosam differentiam assignat Jacob de Arena. Quam, si lubet, invenies apud cit. Merendam n. 19. qui & isti nil tribuit.

Sed ipse demum n. 22. ad nodum hunc dissolvendum se aliter accingit, disparitatem hanc adferens: ideo secundi legati datio in casu cit. l. non tollit vim protestationis: cui bis legavero ei semel deberi volo, quia legati datio suapte naturam non præferret mutationem voluntatis, & hinc hæres fundatam habens intentionem, legatarium repellat, nisi hic de mutata voluntate docuerit; sed contrarium est in nostro casu. Secundum enim testamentum ex natura sua præferret mutationem prioris §. ex eo §. quib. mod. testam. infirm. & cit. l. sancimus Cod. de testam. efficitque, ut hæredes in eo designati fundatam pro se habeant intentionem de Testatoris enixa voluntate, nisi eam simulatam fuisse ab hærede priori probetur. Sed neque ista Merendæ solutio nodum hunc verè Gordeum solvit, cum nitatur falso supposito; sic enim eidem insto: ideo secundi legati datio non tollit vim protestationis præcedentis, quia ista suapte naturam non indicat mutationem voluntatis; sed etiam secundi testamenti factio in nostro casu non indicat mutationem voluntatis: ergo si secundi legati datio &c. prob. min. voluntas, quæ per secundum testamentum in nostro casu mutanda venit, hæc est: ut posterius testamentum non valeat, nisi specialis mentio facta fuerit clausulæ derogatoriæ: sed hujus voluntatis mutationem non indicat simplex secundi testamenti factio, ergo. &c. Fateor equidem lubenter ex cit. LL. à Merenda pulchrè satis (sed sine ullius, ut patem, contradictione) probari, prius testamentum per secundum ipso jure rumpi, & sic etiam inferri, quod cum testamentum prius voluntatem contineat, (ex sua definitione) secundum testamentum ipso jure esse mutationem voluntatis, sed tantum NB. simplicis non qualificatæ, & restrictæ ad certam mutationem faciendam per revocationem clausulæ. licet igitur secundum testamentum ipso jure regulariter infirmet primum, cum ex essentia sua sit prioris voluntatis mutatio, id tamen in casu hoc neutiquam procedit, cum voluntas non simpliciter, ut aliàs ordinariè, mutari debeat, sed per revocationem clausulæ. Et hancce argutam Merendæ responsionem si quis obverteret, aliquo saltem modo difficultatem declinaret; præsertim cum ea specioso suo sophismate suffici-

ens sit, ut aliquem minùs cautum primâ fronte decipiat; sed ista datâ à me distinctione de mutatione voluntatis simplicis & qualificatâ, sive ad certam mutationis speciem restrictâ, totum enervatur, & sic textus in pristino suo robore ac vigore manet inconcussus.

- 10 II. *per l. conficiuntur. §. fin. de jur. Codicill.* ubi sic habetur: *si quis certi generis Codicillos confirmaverit, puta: quos novissimos fecero non utique statim, quæ Codicillis dantur consistere videbuntur, quamdiu alii quoque fieri possunt.*
- 11 *Et ideo, si alii postea fiant, legata in prioribus data non valebunt.* Ad hunc textum acerrimus adversarius Merenda. n. 25. cit. loc. respondet: ideo priores Codicillos non statim esse firmos, & validos, sed rumpi per posteriores, quia non sunt absoluti, sed conditionati: nisi alii Codicilli subsequuti fuerint, quod ubi accidit tunc adimpletum est, quod testator futurum esse prædixerat; & ideo non est mirum, si novissimi tantum Codicilli sustineantur. Sed contra Urgeo, & sic insto: ideo priores Codicilli non valent, quia in præambula testatoris dispositione censentur conditionaliter tantum facti; sed etiam testamentum secundum juxtâ mea principia ex præambula clausula derogatoria censetur tantum conditionaliter factum, scil. *si illam clausulam revocavero*, ergo si &c.
- 12 III. Per textum pulcherrimum in *l. si mihi, & tibi. 12. §. fin. ff. de leg. 1. ibi: nam si ita scripsero: quod Titio infra legavero, id neque do, neque lego; quod infra legatum erit, non valebit*: ergo etiam à pari, si testator dicat, testamentum subsequens, quod fortè fecero, non valebit: nisi hujus meæ voluntatis specialem revocationem fecero; testamentum posterius non sortietur effectum, si prioris derogationis mentio nulla facta fuerit.
- 13 Disparitatem quoad hosce duos casus assignare se putat Merenda cit. loc. quòd juri conforme sit unam partem testamenti à cæteris ejusdem partibus interpretari aut regi, sit autem juri dissonum & minùs usitatum, secundum testamentum à primo ad cujus derogationem venit, sub prætextu faciendæ revocationis pendere; sic enim fieret, ut id, quod ad alterius destructionem tendit, ab eo penderet. Sed r. Merendam in hoc falli, quod existimet in nostro casu secundum testamentum dependere à primo; melius dixisset, quod pendeat à voluntate illius, qui condidit primum, quam suam voluntatem ampliare: restringere: absolutè, vel conditionatè ponere utique potest testator, & hinc cum voluntatem secundi testamenti ex prima dispositione derogatoriæ voluntatis conditionatè tantum posuerit, hinc & actus erit conditionatus, qui conditione non eveniente est nullus; quod juri non est dissonum, & sic à me libenter conceditur.
- 14 IV. Probatur hæc ratio: voluntas testatoris ut Regina servanda est, & habetur pro lege *nov. 22. cap. 2.* ergo cum testatoris voluntas sit, ut posterius testamentum non aliter valeat, quàm si in ea derogatoriæ clausulæ revocatio expressa contineatur, hæc voluntas servanda erit & habenda pro lege.
- 15 V. Hac demonstratione: protestatio quâ quis profitetur, se aliquid simulatè,

mutatè, & tantùm ad eludenda aliorum consilia facturum esse, maximi est momenti; adeò ut actus sequens planè censeatur simulatus, nisi mutatae voluntatis signa appareant. Uti pro regula tradunt. DD. communiter in *l. pacta novissima C. de pactis* & in *l. non solum. §. morte ff. de nov. oper. nunt.* Sed adjectio clausulæ derogatoriæ testamento inserta est protestatio, quâ Testator insinuat testamentum posterius fortè condendum, fore simulatum ad compescendas solummodò adstantium consanguineorum preces conditum, ergo & ipsum testamentum secundum censebitur esse simulatum, consequenter nullum; Nec censendus est testator ab hac sua voluntate recessisse hocipso, quod condat aliud testamentum, uti falsò putat Merenda, cum mutatio non præsumatur, ut habet axioma. *Instat* ille: testator, qui protestatus fuit se nolle valere testamentum, nisi cum hac vel illa solemnitate, eo ipso censetur mutavisse voluntatem, si eadem non observatâ testetur, ut tenet ipse Bart. in *l. si quis in pr. ff. de leg. 3. r.* etsi negari posset *antecedens, consequentia* tamen meliùs negatur, præsertim, si testator dixerit: nolo testamentum meum valere, quàm si octo v. g. testes intervenerint, & id factum fuerit ex rationibus prudentibus; nec putem contrarium etiam à Bartolo defendi, cum eadem in hoc, quæ in altero casu ratio sit asserendi voluntatem testatoris deesse. Et hanc demonstrationem insolubilem esse existimo, cum certò testamentum nullum & invalidum sit, quod non constat enixâ testatoris voluntate; enixam autem, & sinceram ejusdem voluntatem in secundo testamento deesse planè mihi persuadeo, cum in ejus erectionem ad evitandam consanguineorum importunitatem solummodò consenserit. Neque argumenta adversæ partis ea sunt, ut ad solutionem, excepto primo, sudorem requirant; igitur.

Ad I. Et quidem principalem adversariorum Achillem *r.* textum alatum solvendo esse satis difficilem, nec ullum ex sententiæ meæ Patronis inveniri, qui illius vel obviam solum mentionem faciat. Varias quidem ad eundem responsiones earumque refutationes invenies apud Merendam, quas tamen ad comparandum majus suo textui lumen ab ipsomet Authore fabricatas fuisse suspicor; aliam ego ad evitandam *l. cit.* cum aliis sat claris Antinomiam adfero, & *textum cit.* de casu illo intelligi deberi puto, quo Testator codicillans timuit, ne alii codicilli falsò supponerentur. Ad quod obstaculum removendum voluit nullos alios Codicillos valere, nisi *manu ejus scriptos, & obsignatos.* Evenit autem postea, ut testator ipse, vel, ejus jussu, alius quispiam codicillos faceret, sed non *signatos* neque subscriptos, ubi rectè respondit. Ictus eos etiam valere cum notoriè constet codicillos esse genuinos, neque supposititios: ratio hujus decisionis assignari posset, quod de Codicillante præsumi non potuerit, etiam posteriores vero ejus consensu factos codicillos, non debere valere, casu quo (ut in hujus *l. facti specie* planè fuisse existimo) unica clausulæ adjectæ ratio fuit! ut occasio præscinderetur falsos codicillos supponendi, quæ cum cesset, cessabit etiam dispositio; & sic neque inficias eo, quod si in casu nostro constaret de certa & indubitata voluntate testatoris (quam tamen signo externo manifestari deberi contendo v. g. si eam

coram duobus testibus edixerit, vel in scheda confessus sit) etiam testamentum secundum valere, etsi clausulæ derogatoriæ mentio nulla facta fuerit.

Hæc responsio, quamvis adversariis non videatur arridere, eam tamen satis congruam esse existimo; cum & inde colligatur quod similes clausulæ, quæ solemnitatem aliquam superfluum ad actum exigunt, & potissimum eam, quæ in *citata l.* exprimitur, ideo solum adjiciantur, ut falsarius præscindatur occasio falsos Codicillos substituendi; quæ ratio dum hic supponitur abesse & aliundè manifestè (uti vult textus) constiterit, eos esse genuinos, decisio justissima fuit, quæ pro illorum valore lata est.

18 Ad II. R. I. *Nego ant.* palmariam sententiæ meæ rationem hanc esse, quod testatori sic facile foret eludere preces, & lacrymas consanguineorum; sed ille invincibilis meus Achilles est, quod posterius testamentum destitutum sit voluntate testatoris illi vim, & effectum tribuentis; voluntas enim, quæ perficitur testamentum secundum, est tantum imperfecta, conditionata, simulata.

R. II. *T. M. N. Mi. ejus prob. D.* esset hæredis importunitati facillimum hanc clausulam derogatoriam eludere per aliam adhuc efficaciorum vel per astutiam Notarii, & hoc esset merè per accidens C. & hoc fit regulariter N. jam, si hæres vesipellis adderet clausulam adhuc efficaciorum, vel si desuper tentaret animum testatoris, & ex circumstantiis expiscaretur jam antecessisse alterum voluntatis elogium; nihil contra me facit, quod finis testatoris per derogatoriæ clausulæ adjectionem intentus non habeatur. Cum interim verissimum maneat *regulariter* testamentum posterius non valere, si clausulæ derogatoriæ per aliam, vel per expressam revocationem non derogetur.

19 Ad III. Et quidem text. in *l. fin. pr. ff. de leg. 2.* respondent communiter hujus sententiæ Patroni, clausulam derogatoriam tantum per argumentum à contrario ibidem elici, & ideo non esse tantæ potestatis, quantæ ea, quæ expressis verbis concepta est. Sed hæc responsio displicet non solum, quia trita & communis, sed &, quia fundamento caret. eo quod adversarii semper instent, & sufficientem differentiam cum Merenda *cit. loc. n. 15.* postulent, cur eadem dispositio in clausula derogatoria tacita, quæ in expressa, non
20 obtineat, cum tamen in utràque eadem ratio inveniatur? commodiorem igitur solutionem hanc dari putem, si negetur supp. quod in casu *cit. l.* etiam solummodò detur clausula derogatoria tacita, sed dicatur ideo unice testatorem adjecisse: *quod si inveniatur Epistola obsignata illa habeat vicem Codicilli*, ut necessum non haberet in Epistola posteriore sive codicillo eam solemnitatem adhibere, quam Jura alias requirunt ad codicillum, & sic in *cit. textu.* re ipsa non plus decidi, quam in *l. 38. ff. de condit. & demonstr.* ubi conceditur testatoris facultas, ut omnia illa, si in testamento id expresserit, quæ postea adjecto, sive etiam separatè scripserit, non minus valeant, quam si ab initio testamento inserta fuissent; quod autem hoc procedere voluerit in epistola *obsignata*, nihil relevat, quia obsignatio tantum demonstrationis & non sub-

substantialis essentiae per hoc significandae gratia adjecta esse videtur. cum codicillos in testamento jam praevie approbatos regulariter soleamus obfirmare, ne forsan in aliorum manus delapsae legantur.

Ad IV. R. id verissimum esse, sed procedere solum tunc, si id, quod postremo placuit nitatur vera voluntate testantis & disponentis, nego autem, quod in postremo testamento adfuerit vera testatoris voluntas, sed uti supra vidimus, ea tantum fuit conditionata, si nempe clausulam derogatoriam revocavero, unde etiam negare possem supp. quod testamentum posterius testatori placuerit, sed id solummodo simulate ad declinandam precum importunitatem conditum esse praesumitur.

Ad V. R. I. retorq. etiam legata nudae voluntate legantis constitui nequeunt text. & DD. in tit. Inst. deleg. ergo nec tolli aut quo minus fiant impediri nudae voluntate, ergo neque in cit. l. 22. ff. de leg. 3. poterit asseri legata non deberi, cum & ibi tantum nudae voluntate constitutum fuerit, ut legata secunda non valeant.

R. II. D. A. nudae voluntate testamenta infringi nequeunt, si sint perfecta, & adsit verus testatoris consensus C. si tantum sint conditionata & consensus simulatus tantum, & fictus sit N. ac sic iterum negatur suppos. quod posterius testamentum sit verum testamentum, utpote tantum conditum ad compescendam in consanguineis cupiditatem; sed ad summum, si pro actus valore stare lubeat, conditionatum erit; quod autem testamentum conditionatum nudae testatoris voluntate infringi valeat juris est notissimi: pone enim testatorem hanc testamento suo conditionem adjicere: si ad fidem me convertero, nunquid hoc casu in nuda ejusdem voluntate positum erit testamento suo valorem vel nullitatem comparare? Id quod additur eod. mod. D. ferendum non est eum, qui coram tot testibus mentem suam solemniter explicavit negari postmodum animum testandi habuisse, si mentem suam veram & genuinam explicasset, & nisi vero simillime praesumi deberet, eam tantum fuisse simulatam T. secus N. Saepius jam dictum est mentem testatoris, qua secundum testamentum perficitur, non esse veram, sed subdolanam & simulatam, ad eludenda consanguineorum vota unice ministratam, & eam talem esse praesumere me jubet declaratio praambula per clausulam derogatoriam significata.

Neque testator censetur primae suae dispositionis tenorem derogatoria clausula instructum, oblivioni mandasse cum potissimum suprema voluntatis nostrae mandata, & bonorum nostrorum fortunam post obitum servandam, praec oculis semper habere soleamus. Si tamen ex manifestis inditiis (quod tamen vix fiet) probaretur testatorem ex mera oblivione clausulae prioris mentionem non fecisse, sed sincere & cum effectu voluntatem primam mutare voluisse, non haererem, quin pro valore posterioris testamenti deciderem. Sin autem re ipsa oblitus fuisset revocare clausulam, id tamen non constaret, cum corda scrutari datum non sit; iterum nihil curatur, & imputet sibi testator, cur priori suae dispositioni talem adjecerit clausulam, ex qua merito interpretamur voluntatem, qua secundum testamentum approbat, esse tantum fictam, simulatam, & ad evitandas consanguineorum molestias impetratam.



QUÆSTIO VII.

An legatum feudi sine consensu Domini directi & Agnatorum factum ita sit nullum, ut nequidem ejus debeat æstimatio?

SUMMARIA.

1. Vasallus habet varia jura in feudo, remissivè. 2. Nequit id tamen alienare nisi certo modo. 3. Aliàs feloniam incurrit. 4. ad 11. in proposita controversia negativa sententia DD. & fundamenta proponuntur, 11. affirmativa eligitur cum plurimis AA. 12. ad 16. probatur ex variis legibus 16. in dubio pro valore actûs standum 17. pro legatario hîc militat tacita voluntas testatoris, 18. 19. 20. insolubilis paritas adstruitur cum rebus dotalibus, Minorum &c. 21. ad 25. adhuc alia, à D. de Bassus instantiis liberata. 25. 26. Ostenditur quâ ratione legatum hoc sit utile & inutile. 27. Feuda non sunt extra commercium. 28. Æstimatio præstanda est ab hærede in allodialibus. 29. Enervatur paritas cum usufructu 30. uti & cum rebus sacris &c.

Licet Vasallus in re sibi in feudum data varia habeat, ut Dominium utile, seu jus quamlibet utilitatem, & commoditatem ex re feudali obvenientem percipiendi: facultatem de feudo disponendi, & eodem ad libitum utendi salvâ tamen rei substantia: jus feudum suum alteri in subfeudum concedendi &c. de quibus videantur feudistæ, & in specie Adam. Struv. in syntagm. jur. feud. cap. 12. de jure Vasalli in feud. Prænobil. D. Christoph. de Chlingensp. in suis colleg. feudal. Cap. 10. & seqq. permissum tamen ei nequiquam est, feudum ipsum, neque integrum neque ex parte alienare, aut ejus conditionem in minimo etiam deteriore reddere.

2 Et hujus prohibitæ alienationis nomine juxta communem venit omnis actus, quo vel ipsum jus feudi plenè in alium transfertur, vel aliud jus Domino & agnatis præjudiciosum in re feudali constituitur l. 2. feud. tit. 42. in fin. & 55. id quod fieri potest, tam per actum inter vivos, ut donatione: venditione: permutatione: in solutum datione &c. quàm per actus ultimæ voluntatis, ut testamento: codicillo: fidecommisso, vel legato tit. 9. & tit. 51. feud. 2. ubi dicitur, quòd ne quidem liceat feudum legare pro salutæ animæ. Evadit

Evadit tamen alienatio, & valida, & licita, si accedant. I. Consensus Domini *tit. 52. § 55. feud. 2.* qui, an debeat esse expressus, vel sufficiat etiam tacitus, disputant DD. & licet communiùs cum Fachinæo *controv. l. 7. c. 8. Minling. cent. 4. obs. 77. n. 3. Schrader de feud. p. 8. cap. 4. n. 2. Struv. cap. 13. aph. 2.* eò colliment interpretes, ut tacitum sufficere existiment consensum; re-
ctiùs tamen meo iudicio fecerit Vasallus, si Domini expressum consensum im-
ploret, ad evitanda jurgia, & lites; cum Domino facile sit colores quosdam
reperire, quibus suam de feudi alienatione ignorantiam, vel alias circumstan-
tias in Vasalli præjudicium adumbrare valeat. Præsertim, cum & juxta *cit. DD.* ex sola scientia Domini directi non probetur tacitus consensus. D. Chri-
stoph. de Chlingensp. *cit. cap. 11. q. 1.* II. Consensus agnatorum, & reliquo-
rum, qui jus succedendi in feudo habent à primo acquirente in ipsos trans-
latum; saltem ad hoc, ut alienatio perpetuum effectum consequatur, sitque
irrevocabilis *text. in tit. 39. § 45. feud. 2.* Ratio est, quia, etsi Dominus con-
sensum suum in alienationem præbeat, nihil tamen plus inde consequitur Va-
sallus, quàm quòd alienatio sit licita, & valida, nec feudum à Domino ape-
riri possit. Agnatis tamen, & reliquis, quibus ex prima investitura jus qua-
situm est, præjudicare suo consensu nequit Dominus. *DD. in cit. tit. & hinc,*
si feudum sine eorum consensu alienatum fuerit, id post mortem Vasalli, &
ejus descendendum ab agnatis revocari potest, etiam non refuso pretio;
cum id non faciant jure retractus, sed domini & successionis, cui prior Va-
sallus præjudicare non potuit. quod tamen jus revocandi ad filios non debe-
re extendi juri est conformius Vultei. *de feud. cap. 11. n. 88.*

Si verò alienatio requisitis hisce, & potissimum primo destituta, ac cum 3
effectu facta sit, hoc est, si feudum alteri jam *traditum* (traditionem enim necessa-
riò requirunt feudistæ, & hinc per constitutam in eo hypothecam, & meram ser-
vitutem feudum Domino non aperitur) fuerit, alienatio est nulla, & feudum
insuper cadit in commissum: emptor pretium datum perdit: imò & Notarius,
qui alienationis confecit instrumentum extraordinariâ pœnâ mulctatur. *text.*
& *DD. in tit. 42. 44. 52. § 55. feud. 2.* vid. Francis. Balthasar. *resolut. pract.*
p. 2. tit. 11. resol. 3. Quorum ratio præcipua est, contemptus Domini dire-
cti. Qui per hoc indicatur, quòd ejus consensum in alienationem Vasallus non
requisiverit *tit. 22. in f. feud. 2.* & cum hæc ratio absit in eo, qui ignorat rem
esse feudalem hinc etiam DD. communiter asserunt eundem non amittere feu-
dum per *cit. tit. 42. feud. 2.* ibi: *quòd dicitur alienatione feudum aperiri Do-*
mino, intelligendum est, cum à scientibus alienatur beneficium, quænam verò
requiratur ignorantia vid. Struv. *cit. cap. 13. aph. 9. n. 2.* & alii.

Ut nunc ad propositam controversiam progrediar, cum certum sit tale 4
legatum feudi tanquam speciem alienationis esse invalidum, nihilominùs quaeri-
tur, an ita sit invalidum, ut nequidem ejus debeatur æstimatio? Inquo in-
terpretes non leviter discrepant.

Negativam propugnant Feudistæ communiter cum Bocer. *controv. feud. 5*
cap. 1. q. 8. Jul. Clar. in §. feudum q. 40. n. 4. Rosenthal. de feud. cap. 7. conclus.

M

2. n.

2. n. 10. Schrader de feud. p. 7. cap. 7. n. 7. 10. &c. Struv. exercit. feud. 9. th. 12. in fin. it. in syntagm. jur. feud. cap. 9. aph. 12. n. 9. Sonsbéc de feud. p. 12. n. 88. Ritterhus. pact. feud. l. 1. cap. 12. q. 7. Vultei. de feud. l. 1. cap. 9. n. 152. qui eam dicit esse communem omnium. Curt. jun. de feud. pag. 4. n. 126. Gail. lib. 2. observat. 154. n. 13. Roland. à Vall. vol. 2. conf. 71. n. 11. 20. & conf. 29. n. 6. & 7. Pet. Muller in addit. ad Struv. in ff. exercit. 35. tit. de legat. aphor. 9. tit. 4. n. 4. eamque amplexi hætenus sunt celeberrimi hujatis Accademiae Antistites cum Fachin. Controv. jur. l. 5. cap. 37. in f. Manz. tr. de testam. valid. tit. 13. D. de Bassus in tr. de legat. ass. 38. n. 164. & seqq. Prænob. D. Christ. de Chlingensp. in cit. Colleg. feudalib. cap. 11. q. 2. Prænob. & Magnif. D. Herm. Ant. de Chlingensp. Professore mihi, omnem ætatem, venerando tr. de feud. ass. 49. n. 3. adeo, ut nequidem feudo ad pias causas legato ejus debeatur æstimatio. & alii ab his citati interpretes. Rationes, quibus sententiam suam muniant, inveni sequentes.

6 I. D. de Bassus cit. loc. n. 266. adducit tit. 8. feud. 1. cap. 1. ubi clarè habetur, quod *nulla ordinatio defuncti Vasalli in feudo locum habeat ibi: nullâ ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente.* Idem statuitur tit. 55. feud. 2. ibi: *nulli liceat feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quocunque modo distrabere, sive alienare, vel pro anima judicare.* Ex quibus sequens ducit argumentum: non valet alienatio, & legatum feudi; ergo neque debetur æstimatio ejusdem. cum actus nullus nullum producat effectum. arg. l. 34. ff. de V. O. & l. non dubium Cod. de LL. & ubi conceditur legatum feudi ad æstimationem valere, (ut sibi speciosè, sed vanè, blanditur Fachinæus, cit. loc. in f.) manifesta ostendetur implicantia, hæc nimirum: non valet legatum estque inutile, & valet legatum. & erit utile prius vult textus: posterius volunt adversarii, cum dispositioni testatoris planè inutili tribuant hunc effectum, ut ex ea debeatur legati æstimatio; sed hæc est manifesta, absurda, & absona contradictio, ergo? &c.

7 II. Prænob. D. Christ. de Chlingensp. cit. loc. obt. 1. hanc rationem adfert: feudum sine consensu Domini non censetur esse in nostro commercio, uti patet ex cit. text. in tit. 55. feud. 2. sed legatum rei extra commercium positæ, ne quidem valet quò ad rei æstimationem l. 39. §. 8. ff. de leg. 1. ibi: *si verò salustianos hortos, qui sunt Augusti, legaverit quis: furiosi est talia legata testamento adscribere.* ergo neque legatum feudi valebit, quò ad æstimationem; utrumque enim esse extra commercium, sic probatur: ideo horti Cæsaris v. g. sunt extra commercium, quia sine illius jussu alienari nequeunt, sed etiam feudum sine jussu, & consensu Domini directi alienari nequit: ergo si horti Cæsaris sint extra commercium, etiam feudum extra illud erit constitutum.

8 III. Si ex legato feudi, æstimatio saltem deberetur, tunc ista, vel solvi deberet ab hærede, qui succedit in bonis feudalibus, vel ab eo, cui cedunt bona allodialia? neutrum potest dici, ergo non debetur æstimatio feudi, pb. min. imprimis non debet solvi à successore feudali, quia cum is jus quæsitum habeat ex prima acquirentis investitura; eidem Vasallus nullâ dispositione suâ præju-

præjudicare poterit. quantum autem præjudicium accresceret successori, si integram feudi æstimationem deberet præstare, & sic in effectu nihil acquireret? Dein neque à successore in allodialibus: cum enim testator tantum legaverit bona feudalia, hæres in allodialibus justam habebit excusationem, cum is defunctum non in feudalibus, sed tantum in allodialibus repræsentet. noti autem juris est, hæredem non teneri ad implendam voluntatem defuncti, nisi in quantum eundem representat.

IV. Vasallus in feudo se habet sicut usufructuarius in usufructu, ut patet ex multis paritatibus, qui inter hos duos procedunt. de quibus vid. *tit. 5. feud. 1.* sed usufructuarius planè de suo usufructu nequit disponere, adeò, ut si de eodem per testamentum, vel legatum disposuerit, non debeatur ejusdem æstimatio *l. 24. §. 1. ff. de leg. 1.* ibi: *si usufructum legaverim inutile legatum est* *it. l. 20. Cod. de legat.* ibi: *res eas, quarum usufructum tantum, habet legare non potuit.* ergo neque ex Vasalli dispositione de feudo æstimatio debebitur *pb. conseq.* ideo id procedit in usufructuario, quia ejus jus cum persona extinguitur, sed etiam jus, quod Vasallus habet in feudo per ejus mortem evanescit; ergo si id locum habet in usufructuario, etiam admittendum erit in Vasallo.

V. Argumentantur ex *§. 4. Inst. de legat.* ubi habetur, quòd, si v. g. 10 res sacræ, sanctæ, vel religiosæ cuidam, legato relictae fuerint; legatum ejusmodi omnino inutile sit, ita quidem, ut neque earundem æstimatio legatario debeatur. ex ratione nulla alia, quàm, quòd talia legata effectum suum habere nequeant, cum impossibilis earundem sit præstatio. sed etiam legatum feudi effectum suum habere nequit, & impossibilis ejusdem est præstatio, (cum nequidem in potestate hæredis sit, ut ut vellet, legatario feudum præstare, eo quòd ibi versetur præjudicium Domini directi, & agnatorum) ergo si unum legatum non valeat, neque valebit alterum.

Authoritas citt. interpretum simul, & eorum fundamenta hætenus allata facile quem possent ad eorum castra pertrahere; ast puncto juris penitiùs inspecto sententia contraria affirmans, feudi legati æstimationem saltem præstandam esse probabilior videtur, quam defendunt Jason. *in l. uxor. Patru. n. 1. Cod. de legat.* Bald. *in c. 1. de feud. success.* five, ut moderna citatio fieri debet *in tit. 8. §. 1. feud. 1.* Cardin. Mantica. *de conjectur. ultim. volunt. tit. juxta aliquos. 9. & alios. 12. n. 8. & seqq.* Peregrin. *de fidecommis. art. 11. n. 130.* Math. *de Afflict. in tit. feud. 2. §. imperialem n. 33.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. disp. 3. th. 5. lit. G. Eckolt. ad ff. tit. de legat. §. 10.* & alii quos citat Petrus Müller *in cit. addit. ad Struv.* asserens sententiam hanc alterà longè esse juri conformiorem D. Joan. Franc. Balthasar, *in resolut. pract. p. 2. tit. 11. resol. 3. n. 13.* Joann. Strauch. *volum. dissert. 1. diss. 10. aph. 4.* ubi etiam testatur inclitum ICtorum Collegium Lipsiense 3. Martii 1619. sic respondisse. Joann. Faber *in §. non solum de legat.* eamque pariter satis probabilem esse agnoscit Fachinæus *cit. l. 5. controuv. 37. per tot.* pugnat pro ea.

I. Clarus, & fundamentalis text. *in l. 39. §. 7. ff. de legat. 1.* ibi: *con-* 12

M 2

stat

constat etiam res alienas legari posse, utique, si parari possint, etiamsi difficilis earundem sit comparatio. ex quo sic argumentor: juxta *cit. l. res alienæ certè legari possunt, si comparari valeant, licet earum paratio difficilis sit; sed feudum est res aliena, & absolutè comparabilis, licet ejus paratio difficilis sit: ergo feudum rectè legatur, & ejus legatum valet. subsumo, sed non valet ad rem ipsam, cum legans præjudicare nequeat legitimo successori, ergo valet, quoad æstimationem. Quod feudum respectu legantis sit res merè aliena, ipsi adversarii concedunt cum Petr. Müller. *cit. loc.*: quòd absolutè comparari & acquiri possit à nemine negari posse putem; cum quotidie videamus, feuda alienari: transferri: in dõtem dari: permutari: emi &c. licet eorundem comparatio sit difficilis, quia tamen non est impossibilis (eo quòd cum consensu Domini directi, & eorum quorum interest, à quocunque acquiri & in quemcunque transferri possit. *tit. 52. feud. 2. vers. sine eorum permissione. it. tit. 55. feud. 2. Vultei. cit. loc. n. 177. & seqq.*) hinc jure merito valebit legatum. Atque hunc textum irrefragabilem esse planè existimo, & sufficientissimum quo solo in hanc sententiam meam suaviter quilibet trahatur.*

II. Fundamentum fortissimum struitur ex §. 14. I. de leg. ibi: *etiam res aliena legari potest, ita, ut hæres cogatur eam redimere, vel si eam NB. non possit redimere, æstimationem ejus dare.* Quà lege rurlum quid validius excogitari potest? sic enim infero: feudum est res aliena; sed res aliena legari potest, ita ut hæres eam redimere teneatur, vel æstimationem præstare: ergo feudum legari potest, ita ut hæres illud teneatur redimere, vel ejus æstimationem præstare.

14 Auguror jam tum, quid adversarii responsuri sint. Distinctione enim hoc argumentum infringere conabuntur sequenti: feudum est res aliena existens tamen extra commercium C, est res aliena simpliciter N. & sic distincta, pariter minore, negabunt conseq. Sed verba sunt aërem verberantia, feudum existere extra commercium humanum & assertum est à qualibet perspicaciori indole negandum, cujus falsitatem in *solutione objectionis secunde* fusiùs videbimus; Interim certum manet, quòd feudum respectu legantis sit res aliena, eo quòd jus, quod in illa habet, cum morte illius extinguatur; si est res aliena: tunc illo legato, ubi redimi nequit, ejusdem præstabitur æstimatio; quid aliud volui?

III. Ratio Desumitur ex variis textibus juris. I. *Ex l. 12. ff. de legat. 2. ibi: si pecunia legata in bonis legantis non sit, solvendo tamen hæreditas sit, hæres pecuniam legatam dare compellitur, ergo etiam, si feudum in bonis legantis non sit, si tamen solvendo hæreditas sit, legatum erit præstandum, vel saltem ejus æstimatio.* II. *Ex l. 14. §. 2. ff. de legat. 3. verbis: si rem legatam redimere non possis, quòd Dominus non vendat, vel immodico pretio vendat, justam æstimationem inferes.* ergo etiam licet feudum redimi non possit, justa illius præstabitur æstimatio. Neque magni facio quorundam responsionem, asserentium: in hoc textu expressam adesse testatoris voluntatem de redimendo legato rei alienæ, nam & in hac quæstione voluntatem talem adesse infra in ratione §. probabitur. III. *Ex l. 71. §. 3. ff. de leg. ibi: si aliena res legata est, negetque*
Domi-

Dominum eam vendere, æquissimum est concedi ei, ex hac causa æstimationem officio judicis præstari. plures text. allegare superfedeo, eo quod ille, qui ex mox allatis, sententiæ hujus veritatem meridiana luce clariorem esse, non agnoscat, ambobus oculis, ut cæcutiat & caliget oportet; jure igitur dicunt ipsimet adversarii, illam inspecto jure alterâ longe esse probabiliorem.

IV. Eam sic probo: in dubio ea semper faciendâ est actûs interpretatio, quâ res valeat potius, quàm pereat. *L. quoties ff. de reb. dub.* præsertim in actibus ultimæ voluntatis locum id habebit, cum in iis semper laborandum sit, ut subsistant magis, quàm corruant. *arg. l. 3. ff. de testam. milit.* (quia favore ultimarum voluntatum specialia multa introducta esse leguntur, quæ in actibus inter vivos locum non habent; unde licet per actus inter vivos res aliena in alterum transferri nequeat, cum nemo plus juris in alium valeat transferre quam ipse habet *L. 54. ff. de R. J.* favore tamen ultimæ voluntatis introductum est, ut etiam rei alienæ legatum subsistat *cit. §. 14. de legat.*) ergo dicendum est legatum feudi etiam subsistere, & quoad ejus æstimationem effectum suum consequi. Hoc argumentum apud Fachinæum locum quemdam invenisse censetur. 16

V. Saltem juxta plerosque adversarios, uti Struv. Chlingensperg. Vultej. *cit. locis*, tunc feudi æstimatio legatario debetur, si constet de expressâ voluntate testatoris, quod æstimationem legatario velit dari, *arg. l. si quis inquilinos in pr. ff. de legat. 1. Alexand. vol. 2. conf. 9. n. 14. Schrader de feud. p. 7. cap. 2. n. 9.* & alii quos citat Franc. Balthasar *cit. loc. n. 12.* ergo etiam, ubi tacita ejusdem voluntas adest debetur æstimatio; cum in ultimis voluntatibus præsumpta, & tacita voluntas multum operetur, & totam ferè rem conficiat, ut in pulchro exemplo videre est apud Prænob. D. Christoph. de Chlingensp. *Inst. l. 1. tit. 1. q. 6.* Et argumentor rursus à pari: in legato rei alienæ præsumpta testatoris voluntas de præstanda rei æstimatione tantum operatur, ut, si redimi nequeat, ejus æstimatio præstari debeat; ergo etiam præsumpta testatoris voluntas in feudi legato operabitur, ut ejus præstetur æstimatio. Quod autem præsumi debeat testatorem voluisse saltem feudi æstimationem legatario obtingere, sic demonstro: legans alicui rem feudalem, scit etiam esse alienam, & feudalem (aliàs si hoc ignoret, totum legatum non valet) neque censetur lusisse, sed enixa ejus voluntas fuisse, ut legatum hoc omni, quo fieri posset, modo ad legatarium deveniat; Ergo tacita ejus & præsumpta voluntas censetur fuisse, ut, cum feudum legatario præstari non possit, solvatur saltem ejusdem æstimatio; in actibus enim ultimæ voluntatis nemo, censetur jocari sed seriò quàm maximè agere, uti fert communis parèmia. ac tacita insuper testatoris voluntas, ut Regina, servanda est, ultimæque hominum placita latissimæ sunt interpretationis *l. 17. §. 2. ff. de usufr. & habitat. l. fin. Cod. de posthum. hered. instit.* 17

VI. Insolubilis paritas ducitur ex rebus dotalibus, Minorum &c. Quæ sic adornatur: licet res dotales, Minorum, &c. simpliciter alienari nequeant, & sic hominum commercio (juxta adversarios) quasi exemptæ esse videantur, tamen 18

tamen earum, si legentur, æstimatione debetur, pro ut concedit communior etiam adverbiorum cum Rosenthal. *de feud. c. 7. concl. 2. n. 27.* Bartol. Jason &c. ergo etiam licet feudum simpliciter, hoc est, non nisi intervenientibus certis solemnitatibus, alienari nequeat, tamen ejus, si legetur æstimatione, debebitur. idem hoc Argumentum de rebus Ecclesiasticis instituit D. Rudolphi *in sua Centuria Togat. Pallat. q. 59. art. 5.* licet enim illæ nisi concurrentibus legitimis solemnitatibus nequeant distrahi, legari tamen possunt ad hunc effectum, ut earum debeat æstimatione; uti voluit Bartol. *in L. 16. ff. de testam. milit.* Bald. *in l. 10. Cod. de legat. n. 8.* Covarruv. *in cap. 5. de testam. &c.*

19 Ad hanc difficultatem respondet D. de Bassus *cit. loc. assert. 16.* Argumentum à rebus dotalibus, Minorum, Ecclesiæ. &c. ideo esse invalidum; si quidem constet, res istas esse in hominum commercio; emi enim vendique possunt solemnitatibus ritè adhibitis, nec alicubi in jure dispositum esse inveniri, ut legatum rei dotalis, Minoris &c. ipso jure nullum sit, sicut feudi legatum irritum esse nulliusque roboris, non uno in textu apertè declaratur.

20 Sed viro Doctissimo sic insto: si ideo res Minorum, Ecclesiæ, dotales &c. dicantur adhuc rectè esse in commercio nostro, quia debitis saltem solemnitatibus intervenientibus alienari possunt, tunc etiam feudum adhuc rectè dicitur in commercio humano esse constitutum, cum & id intervenientibus debitis solemnitatibus (requisito scilicet consensu Domini, & agnatorum) imò &, adhuc minoribus, quàm in rebus prædictis, alienari possit *tot. tit. 52. & 55. feud. 2.* Ad id quod additur, *ut. uti postea fufius dicetur,* legatum feudi non esse specialiter irritatum à jure, nisi quo ad ipsius feudi præstationem. *ex ratione:* quòd aliàs Domino directo, & agnatis, quibus jam est jus quæsitum, inferretur præjudicium; quæ ratio cum cesset in præstatione æstimationis, etiam cessabit dispositio.

21 VII. Licet gratis concederem feudum simpliciter esse extra commercium humanum, tamen illius legatum adhuc valebit quo ad æstimationem, ergo? *prob. ant. à pari:* licet servus, alienus militiæ commercium non habeat, tamen si eidem Militiæ legetur, legatum valet, quo ad rei æstimationem uti habet pulcherrimus text. *in l. fideicommiss. 11. §. si sermo alieno 16. ff. de leg. 3.* ergo etiam, licet quilibet, extra agnatos, commercium feudi non habeat, tamen si illud cuiquam legetur valet legatum quo ad æstimationem? id quod etiam innuitur *in l. 114. §. 1. ff. de legat. 1.* & hic solidam rursus exspecto disparitatem.

22 Quam, & quidem duplicem, assignare laborat *cit. eruditissimus Author de Bassus cit. loc. n. 168.* Primam ad *cit. l. 114.* depromit ex Bachov. ad Treutl. *vol. 2. disp. 13. th. 4. litt. M.* nimirum: JC. *in cit. l.* loqui de ea re legata, quæ licitè quidem alicui legari potest, sed tantùm ob accidentalem aliquam causam legatarius eam habere nequit, veluti si claudo, cursoris, vel muto, Cantoris officium, vel rustico imperito Bibliotheca legetur; & hinc ibidem meritò statuit, in similibus casibus æstimationem deberi. Non vero legislatorem loqui de eare, quæ commercio hominum exempta est. qualis res est feudum. Secundam *ad cit.*

cit. l. ii. §. 16. ff. de leg. 3. desumit ex Cujac. *in l. 34. in f. ff. de V. O. & Gotofred. in d. l. fidecommissi u.* scilicet ideo legatum militiæ, servo alieno relictum, cujus tamen ille incapax erat, valere, quò ad æstimationem; quia potius certa quantitas, quàm ipsum corpus eidem nomine militiæ legatum esse censetur; cum militia olim nihil aliud fuerit, quam aliquod in schola officium, ex quo salarium, & commodum consequeretur ille, cui illud officium mandatum erat *Nov. 53. cap. 5.* jam autem cum legatum servo relictum ex solius Domini persona judicetur, & ipsi censeatur esse datum; consequens est militiæ talis æstimationem serui Domino præstandam esse. Contrarium autem in casu hoc evenit.

Quæ responsiones sunt quidem satis acutæ, ingeniosæ, & suis auctoribus dignæ; si tamen penitus inspiciantur, nil relevant. Non prima paritatem enim ex *l. 114. cit.* sic urgeo: ideo in *cit. l.* legatario debetur æstimatio, quia res, quæ legata est propter extrinsecam, aut intrinsecam *rei legata qualitatem* non potest fieri legatarii; sed etiam feudum propter feudi qualitatem, utpote requirentis ad sui alienationem consensum Domini & agnatorum, non potest fieri hic & nunc legatarii; ergo & ejus debetur æstimatio. quòd autem textus loquatur de legato licito parùm ad rem facit, quia ad juxta mea principia etiam legatum feudi licitum est, in tantum, ut operetur debitum æstimationis.

Neque secunda, si namque insto: ideo per *cit. l. ii. §. 16. &c.* servo juxta adversarios debetur militiæ æstimatio, licet ea sit extra illius commercium, quia illi censetur, à Testatore potius quantitas pecuniæ ex officio militiæ provenire solita sive (quod mutatis Verbis idem est) militiæ æstimatio relicta esse; sed etiam juxta me legatario feudi (illius hic, & nunc pro defectu solennitatum adhibitarum incapaci) censetur potius quantitas ex feudo proveniens, sive ejusdem æstimatio, relicta esse, uti superius in ratione 5. probavi, ergo si &c. imò casus & circumstantiæ *cit. l. ii.* adhuc graviores, & notabiliores sunt meis. Nam servus absolute incapax erat militiæ ex essentia sua; legatarius autem feudi illius tantum respectivè est inhabilis supposito defectu solennitatum ad alienationem requisitarum; sine fundamento autem à D. De Bassus asseri videtur, in casu *cit. l. ii.* personam Domini ex persona servi principaliter fuisse in considerationem deductam; nam si hoc verum esset, J.C. utique statuere debuisset, deberi & præstari Domino ipsam militiam, cujus non Dominus, sed servus solummodò incapax erat.

Propositis hisce sententiæ meæ; juri congruentissimæ, fundamentis, ad solutionem objectionum alacri pede transeo, & quidem.

Ad I. *ry.* textus illos plus non evincere, quam quod non valeat alienatio rei feudalis, in quantum ibi versatur præjudicium Domini directi, & agnatorum, qui per dispositionem Vasalli deberent carere feudo, & jus per primam investituram jam quæsitum alteri relinquere, vel ejus æstimationem præstare. ut ipse Fachin: agnoscit *cit. loc. vers. ad argumenta contraria.* Et hoc tantum sensu legatum feudi à Vasallo factum est inutile, non autem inutile similiter erit, quoad æstimationem; cum non solum hæc testatoris præsumpta voluntas

luntas fuisse videatur, sed & præjudicium Domini, & agnatorum ibi nullum versetur. Sicut à pari licet rei alienæ legatum non valeat in præjudicium Domini ejusdem, vel alterius in illa jus habentis; valet tamen in præjudicium hæredis, ut ille ejusdem æstimationem legatario teneatur præstare ex iisdem rationibus, quibus eandem in feudi legato solvendam esse demonstratum est.

- 26 Ad Regulam juris desumptam *ex l. 34. ff. de V. O. & L. non dubium Cod. de LL. R.* sub distinctione, quod nullum est nullum producit effectum, si sit sub omni respectu nullum C. si tantum sub aliquo respectu sit nullum N. legatum feudi nullum quidem est, sed tantum quoad præstationem rei ipsius; validum autem quoad præstationem æstimationis, & sub illo respectu, sub quo nullum est, nullum etiam producit effectum; Instantiam manifestam rursus assigno in legato rei alienæ.

Et hoc responsionis medio pariter eluditur fundamentum Fachinæi. implicans enim quidem est, ut idem actus sit utilis & inutilis sub eodem respectu, sed non sub diverso, & legatum quæstionis quis inquit sub eodem respectu utile esse, & inutile? utile namque solummodo est, quo ad æstimationem, inutile quoad rem ipsam. Sanè miror tantis Viris non indicisse hanc in jure aliàs vulgarem & satis tritam distinctionem. Manifestam iteratò retorsionem Fachinæo affero in legato rei alienæ, quia & illud utile est, & inutile, ubi certò ad datam mox distinctionem refugiet.

- 27 Ad II. Nego & pernego feuda extra commercium humanum esse posita. ex adduct. lege cum prædiis Cæsaris ineptum ducitur Argumentum. audiamus ipsum Fachin. cit. loc. *vers. II. dico* ubi fatetur maximam inter prædia Cæsaris, & feuda esse differentiam. inspiciatur profundius ipse textus, & quilibet illam manibus ut ajunt deprehendet. illius verba hæc sunt, *sed & ea prædia Cæsaris, quæ in formam patrimonii sunt, si legentur, nec æstimatio eorum debet præstari, quoniam commercium eorum nisi jussu principis non est, cum distrahi non solent.* Vides (pergit Fachinæus) quantum hæc prædia a rebus fudalibus distent, quæ ut omnibus palam est, quotidie distrahuntur; optimè insuper negatur, ex hoc inferri feuda esse extra commercium posita, quod certas ad alienationem requirant solennitates; sicut ex hoc quod res Minorum, Ecclesiæ &c. si alienari debeant, requirant, decretum judicis, necessitatem, vel utilitatem vel pietatem &c. nemo inferet res eas esse extra commercium positas.

- 28 Ad III. R. æstimationem præstandam esse ab illo hærede, qui succedit in allodialibus, ut ipse Petr. Müller *cit. loc.* contendit, citans Ludwel, Strick, Bardili &c. Ratio est, quia æstimatio feudi non est res feudalis sed allodialis, & hinc ab hærede defunctum in allodialibus repræsentante præstanda; Consentit etiam Arnold Vinnius *in not. ad cit. §. 4. Inst. de legat.* cum & is, qui legat rem alienam de suo legare intelligatur, & hæredem redemptione oneret. Fufius Rudolphi *cit. loc.*

- 29 Ad IV. R. imbecille Argumentum duci ab usufructu, I. enim negatur in feudo adstrui paritatem posse cum usufructu, cum differentie inter hæc duo ultra 10. assignentur à feudistis, Adam Struv. *synagm. jur feud. cap. 2. aph. 3. n. 3.*

n. 3. Hubert. Gyphan. celebri hujus Academiae Professore *Disp. feud. 1. n. 12.* inter quas eminent, quod Vasallus habeat Dominium utile, cujus varios effectus vide apud cit. Struv. *cap. 12. aph. 2. & seqq.* II. neque ex *cit. textib.* probari, usufructu legato, ejus aestimationem legatario praestari non debere. si enim legans sciverit rem legatam sibi solummodo usufructus nomine esse obligatam, idem jus in hujus, ac in feudi, legato obtinere sustineo. citati textus in *L. 24. §. 1. ff. de leg. 1. & in L. 20. Cod. eod.* tantum evincunt legatum usufructus esse inutile; ex quibus male infertur legati usufructus nequidem aestimationem deberi; cum legatum istud tantum inutile sit, quo ad rem ipsam.

Ad V. Disparitas in promptu est, cum notissimi juris sit res Sacras, sanctas, & religiosas, commercio hominum plenissime esse exemptas. quod inde colligitur, quoniam nequidem aestimationem recipiunt. Econtra feudum aestimationem suam recipit, nec extra commercium id positum esse, vidimus. si enim eo esset exemptum, ex hac id ratione esse oporteret: quod alienari nequeat, nisi intervenientibus certis solennitatibus sed id falsissimum esse, probatum est a paritate cum rebus donatibus Minorum, Ecclesiae, Reipublicae &c. ergo &c. 30

QUAESTIO VIII.

An feudum antiquum ob feloniam in Dominum directum commissam eidem apertum mortuo Vasallo sit restituendum Agnatis, an vero apud Dominum maneat?

S U M M A R I A.

Hodie nequit Vasallus feudo privari, nisi ob certas causas. 5. proponitur controversia rubrica. 6. ad 15. affirmativae sententiae Patroni & fundamenta recensentur. 15. contraria probatur. 16. 17. palmariè evincitur ex §. fin. Tit. 24. feud. 2. 18. 19. paritas adstruitur 20. Confirmatur. 21. demonstratur à contrario cum Dominio directo 22. argumentum ducitur ex tit. 55. feud. 2. 23. ad fin. respondetur ad opposita.

Domino directo olim licitum fuisse: Vasallum feudo pro lubitu privare, habetur in *tit. 1. §. 1. & 2. feud. 1.* quia feudum erat merissimum beneficium, sicut in fieri à nuda Domini liberalis voluntate, sic etiam in conservari dependens. Postea verò cum iniquum hoc aliquo modo,

N

&

& Vasallo valdè moleſtum videretur, ex mera Domini criſi ob injuriam temporum ſæpiùs delirante, à feudi poſſeſſione deturbari; ſtatutum eſt, ne Domini eos beneficio exuant ſine juſta cauſa, *tit. 7. §. 21. feud. 1.* atque inter naturalia feudi relatum eſt, ut illud concedatur in perpetuum, ac in ſucceſſores de familia tranſeat. *tit. 23. in f. feud. 2.* Struv. *ſyntaxm. jur. feud. cap. 2. aph. 7. §. cap. 9. aph. 1.*

2 Cauſæ verò, ob quas feudo Vaſallus privari valeat (præter illas, quæ etiam aliis juribus ut emphyteuſi: uſufructu &c. ſunt communes, de quibus vid. Struv. *cit. tr. cap. 15. aph. 3. 4. 5. &c.*) in duplicem potiffimùm claſſem rediguntur. *Ad primam* referes culpas, ſeu felonias, quibus Vaſallus ſe ingratum exhibet adverſus ipſum Dominum directum. *Ad ſecundam* illas, quibus aliàs feudo indignum ſe reddit.

Prioris claſſis ſequentes potiffimùm felonias aſſignant feudiftæ.

I. Eſt, ſi Vaſallus debitum ſuum officium, vel deneget, vel non implet, puta: ſi debita ſervitia non præſtet: *tit. 21. feud. 1. tit. 24. §. 55. feud. 2.* ſi Dominum de imminente periculo certiore non reddat. *tit. 7. verſ. §. ſi impedimentum. feud. 2.* ſi eundem in prælio, aut alio vitæ periculo conſtitutum deſerat: *tit. 5. 21. 27. feud. 1. tit. 24. §. 2. feud. 2.* ſi eundem captum, cum poſſit, non liberet. *tit. 24. §. item. feud. 2. &c.* II. Si actualiter in Dominum aſſiliat: ejus caſtrum obſideat, inſidias vitæ iſtius ſtruat, *tit. 5. §. ſimiliter feud. 1. tit. 6. feud. 2.* adeo quidem, ut etiam aliquando ſolus conatus exteriori actu, vel ſigno manifeſtatus ſufficiat Struv. *cit. cap. 15. aph. 9. n. 3.* III. Si arcana Domini revelet *tit. 5. 6. 7. feud. 2.* IV. Si feudum, eſſe bonum alodialè perfractè ſuſtineat *tit. 24. feud. 2.* V. Si Dominum injuriis aſſiciat *tit. 6. 7. feud. 2.* VI. Si Dominum criminali judicio conveniat, vel famoſam eidem actionem intentet: teſtimonium in cauſa criminali contra eum dicat *tit. 33. §. 24. feud. 7.* VII. Si cucurbitet, hoc eſt cum uxore Domini concumbat, vel eam ad concubitum ſollicitet, vel etiam ſi cum filia, Nepte, Nuru, aut ſore commercium habeat *tit. 5. 7. 21. §. ſin. feud. 1. tit. 24. §. idem feud. 2.* quanquam tamen his ultimis caſibus feloniam in Dominum non committatur directè, ſed tantum indirectè, quæ multùm inter ſe diſcrepant.

3 Ad poſterioſiorem claſſem referuntur, crimen paricidii, inceſtās, perduellionis: illicita alienatio: ingens deterioratio feudi: proditione nefaria &c. de quibus vid. Schrader *de feud. p. 9. cap. 3. n. 30.* Roſenthal *de feud. cap. 10. concl. 55.*

4 Nunc autem Vaſallus committens aliquam, ex relatis, feloniam ſine diſtinctione datarum claſſium ſemper privatur feudo, ſed cum notabili hac diſſerentia: quòd, ſi feloniam prioris claſſis committatur, ubi Vaſallus Dominum directum directè aut indirectè offendit, tam feudum novum arg. *tit. 24. §. 3. feud. 2.* quàm antiquum *cit. tit. 24. §. ſin. feud. 2.* revertatur ad ipſum Dominum offeſum, & non ad Agnatos. Roſenthal. *cit. tr. cap. 11. conclus. 1. n. 1.* Aſt ſi feloniam ſecundæ claſſis committatur; feudum novum pariter ad Dominum revertatur, antiquum tamen (excluſis Domino & Vaſalli Filiiſ) ad Agnatos

tos

tos devolvatur. text. & DD. in tit. 37. feud. 2. D. Christoph. de Chlingensp. Colleg. feud. cap. 13. q. 17. Schulz. syntagm. feud. cap. 11. n. 62.

An vero, si felonia prioris classis committatur, feudum ita indistin- 5
ctè Domino directo aperiatur, ut neque illud, Vasallò mortuò, cogatur re-
stituere agnatis, quibus jus quæsitum erat jam ex prima investitura? dubi-
tatur vehementer inter feudistas. Qui si unquam acriter, & generosè inter
se configant, id certè hac in controversia, in praxi etiam vix non obvia, eve-
nit. In duas potissimum abeunt sententias.

Prima Æquitatis rationem affectans, feudum taliter Domino apertum, de- 6
functò, sine hæredibus masculis, Vasallò, agnatis restituendum esse Dominò
ulterius exclusò, contendit, cum magni nominis DD. Carpzov. p. 3. c. 27. def.
6. 8. & 16. Vultei. de feud. L. 1. c. 11. n. 147. Obrecht. Tr. de feud. l. 4. cap. 9.
n. 113. Menoch. consil. 534. n. 14. Struv. syntagm. jur. feud. cap. 15. aphoris. 14.
per tot. Præn. D. Christoph. de Chlingensp. cit. Colleg. feud. cap. 13. q. 17.
Magnif. D. H. Ant. de Chlingensp. Professor in profano jure mihi Colen-
dissimus in enucleata dissert. de feud. aff. 80. n. 10. qui omnes æquitati hisce ra-
tionibus subveniunt.

I. Quòd naturalis ratio exigat, ut delicta suos tantum teneant Autho- 7
res L. sancimus Cod. de pen. nec alter alterius culpà citra factum suum gra-
vetur L. nemo debet ff. de R. J. ergo feudum mortuò Vasallò debet redire ad
agnatos; alioquin isti alterius delictum, & culpam luerent.

II. Agnati in feudo antiquo ex pacto primi acquirentis jus quæsitum ha- 8
bent. nec id à proximo defuncto, sed jure proprio capiunt, quod iisdem Va-
sallus nullo suo pacto, contractu, aut facto potest auferre. Adeòque juri
maximè videtur consentaneum eos feudo ob feloniam Vasalli privari non pos-
se. Ità Struv. cit. loc. præsertim cum aliàs in potestate Vasalli foret, Agna-
tum jure sibi quæsito fraudare. id quod multis collusionibus inter Dominum,
& Vasallum locum præberet.

III. à Contractu ad delictum maxima ducitur paritas; sed Vasallus con- 9
tractu suo agnatis reliquis nequit præjudicare, ergo neque delicto.

IV. In tit. 40. feud. 2. apertè hæc sententia innuitur: cum enim feu- 10
dum ob feloniam Prælati, vel administratoris Ecclesiæ aperiatur, directè resolvitur
feudum ad Dominum quidem reverti, sed non nisi vivente Prælato, & eò mor-
tuò illud successoribus esse restituendum, ibi: si Clericus, veluti Episcopus Ab-
bas beneficium habens à Rege datum, non solummodò personæ, sed etiam Eccle-
siæ, ipsum propter suam culpam perdat; eo vivente, & Ecclesiasticum beneficium, vel
honorem habente ad Regem pertineat, post mortem verò ejus ad successorum re-
vertatur. ergo idem etiam dicendum est in nostro casu; cum sufficiens diffe-
rentiæ ratio assignari nequeat. ideo namque feudum mortuò Prælatò ad ejus suc-
cessorem revertitur, quia successor causam & feudum non habet à suo antecesso-
re, sed immediatè ab Electione, unde ei præjudicari non potuit ab antecesso-
re; sed etiam agnati reliqui causam suam, & jus in feudo non habent imme-
diatè ab ultimo Vasallo, sed à primo acquirente: ergo si delictum antecesso-

ris in amittendo feudo non præjudicet successori, neque delictum Vasalli præjudicabit agnatis.

- 11 V. Vultejus, ut hanc sententiam amplectatur hac movetur ratione: sententia hæc implet rationem tam illius sententiæ, quæ dicit feudum indistinctè exclusis agnatis ad Dominum reverti scilicet: ut *hanc Dominus injuria sibi illata habeat ultionem cit. Tit. 24. §. fin. feud. 2.* quam alterius, quæ contendit feudum ad agnatos reverti, *ne illis in jure sibi quæsito præjudicetur.* Ergo est tenenda, cum media via semper sit optima, juxta tritum illud.

Mediâ tutissimus ibis.

Si ergo dicatur feudum illud ad Dominum quidem reverti sed tantum Vasallò vivente, & extantibus ex eo hæredibus masculis; *habebit is injuria sua ultionem*, & agnatis nihil de jure suo decedet, utpote quibus nullum jus succedendi ex delicto in Dominum commissò competit, sed ex morte demum Vasalli, & defectu hæredum masculorum; nec ulla Collusio, quæ agnatis fraudi esse possit metuenda erit.

- 12 Et pro Confirmatione addit laudatus author se eò lubentiùs distinctionem hanc conciliatoriam amplecti: quòd jure civili simile quid proditum sit in re fide commissaria restitutioni obnoxia; si enim bona hæredis fiduciarii ob atrocè crimen v, g. à Fisco occupentur; fidecommissum quidem pariter confiscatur, sed ad mortem delinquentis solummodò retinetur, eoque defunctò restituitur ei, cui restituendum fuisset, si hæres non deliquisset. *L. status. §. fin. ff. de jur. fisci L. peto §. legatum ff. de legat. 2. l. 1. in fin. Cod. commun. de manumiss.* ergo etiam feudum (restitutioni utique obnoxium cum Vasallus, ad instar fiduciarii, successoribus illud planè teneatur relinquere) à Domino non poterit retineri diutius quàm ad mortem Vasalli, eoque defunctò agnatis cui id aliàs obvenisset, restitui debet.

Unde aliqui argumentum hocce Vultejii in Regulam hanc redigunt: si emergat casus, qui jure feudali apertè satis decisus non est, is secù dum juris Civilis regulas judicabitur *tit. 1. feud. 2.* sed casus noster jure feudali apertè satis decisus non est (aliàs contrarium asserentes temerariè agerent) ergo secundum jus Civile decidetur. *subsumunt.* sed jus Civile *per cit. text.* & DD. ibidem clarè statuit rem restitutioni obnoxiam non posse retineri ultra mortem delinquentis, ergo?

- 13 IV. Ratio consistit in solutione præcipui textùs adversariorum, nimirum *§. fin. tit. 24. feud. 2.* ubi, postquam statuitur, feudum ad agnatos reverti debere, si id ob culpam non in Dominum commissam amittatur, statim subjicitur: *ut siquidem Vasallus ita in Dominum peccaverit, ut feudum amittere debeat, non ad proximos, sed ad Dominum beneficium revertatur; ut hanc saltem habeat injuria sua ultionem*, hunc textum pro altera sententia nihil probare, sic demonstrant: subjecta ratio, quâ utitur *cit. §.* satis indicat feudum solummodò reverti ad Dominum Vasallò vivente. Ergo nihil relevat? *prob. anteced.* ratio subjecta: *ut hanc saltem habeat injuria sua ultionem*, si penitus inspiciatur, tangit unicè delinquentem Vasallum, & non agnatos; jure naturali scilicet distante,

stante, ut quis injuriæ suæ ultionem, ab eo, qui injuriam intulit: non autem ab iis, qui omnis delicti expertes fuere, consequatur; ergo satis indicat feudum tantum spectare ad Dominum vivente Vasallo, cum enim solummodo Vasallus injuriam Domino intulerit, reliqui vero agnati culpâ vacent, injuriæ pariter ultionem à solo Vasallo, & non ab agnatis petendam esse omnia jura exigunt; peteretur autem ultio etiam ab agnatis, si in feudo privarentur. *Nec obstat*, quòd textus loquatur indistinctè, & sine limitatione ad vitam Vasalli, nam etiam generales legum assertiones ex subiecta ratione interpretationem, & restrictionem accipiunt, uti pulchrè habetur in *L. 77. §. dulcissimis ff. de leg. 2.* id quod in proposito, vel ideo magis locum inveniet, cum non solum ratio hanc restrictionem denotans subiecta sit; sed etiam hoc ipsum naturalis æquitas, & mens *cit. §.* postulent. quæ sæpius ejus est ponderis, ut ne illa violetur, verba etiam quantumvis satis clara ultra propriam significationem restringenda, & temperanda sint, uti habet notabilis text: in *l. 13. §. 2. ff. de excusat. tut. ibi. sed etsi maxime verba legis hunc habeant intellectum, tamen mens legislatoris aliud vult &c.* & hoc adhuc magis inde roborari videtur, quòd text. *cit. §.* in voce *saltem* vim ponat, inquiring; ut hanc *saltem* injuriæ &c. cum aliàs ob delictum in extraneam personam commissum, feudum *statim* ad agnatos revertatur. uti pulchrè & subtiliter quidam advertunt.

VII. denique, quòd hæc sententia doceri videatur in *tit. 9. feud. 2. vers. porro* 14
ubi quæstione propolita, quid juris esset, si Vasallus feudum alienaverit? dicitur, *in redimendo autem potior erat proximi agnati, quam Domini conditio; si tamen feudum fuerit Paternum*, ergo in feudo antiquo, sive paterno per feloniam amisso, agnati potiores sunt Domino,

Quæ argumenta sententiam hanc reddunt, quam maximè probabilem: 15
juri abunde consentaneam, & in praxi tutiorem. adeo, ut vix non temerariæ mihi videantur esse censuræ Sonsbecii qui *tr. de feud. p. 3. n. 3. vers. qua distinctio* asserit eam juri repugnare, miraturque de Zasio, viro cæteroquin doctissimo, quòd sententiam alteram dubiam solummodo dixerit. & Rosenthalii, qui *tr. de feud. cap. 11. concl. 5. n. 3. vers. tamen hanc opinionem*. eam vocat erroneam. Contrariam tamen non improbabilius tenent Sonsbec. & Rosenthal *cit. loc. Berlich. concl. practicab. p. 3. concl. 37. n. 19. Jas. epitom. feud. p. 10. n. 101. Gail. de pac. publ. l. 2. c. 13. n. 10. Fach. l. 7. cap. 22.* citans plurimos alios Ant. Merenda. *controv. jur. l. 6. cap. 16.* pulchrè & solidè D. Arnold. Rath. in *suis Q. Q. illustr. de anno 1629. contrav. 1.* asserens eam jure feudali apertè probari & in praxi teste Jul. Clar. (ut ut aliàs adversario) receptam esse. & alii ab his citati DD. quorum opinioni, in apice juris veriori, meum pariter calculum adjicio, eamque sequentibus rationibus stabilio.

I. Et principalis Ratio consistit in *cit. §. fin. tit. 24. feud. 2.* quem juvat re- 16
ferre: *Denique sæpè quæsitum est Vasallo propter justam culpam à feudo cadente, utrum ad Dominum an ad successorem, beneficii feudum pertineat? sed hæc distinctio tam ratione, quam moribus comprobata est: ut si Vasallus in Dominum peccaverit, ut feudum omittere debeat; non ad proximos, sed ad Dominum benefi-*

nescium revertatur, ut hanc saltem habeat injuria sua ultionem. &c. Cujus clarissimi textus accuratam anatomen vide apud Merend. *cit. q.* & certò eundem irrefragabilem esse penitus existimo. imprimis enim ex præambulo decisionis colligitur, eandem ibi fuisse quæstionem decidendam, quæ hic controversitur. dein progreditur textus ad ipsam decisionem: *Non ad proximos, sed ad Dominum revertatur.* dubitatum namque & ante fuerat, an non illud etiam ad proximos, utpote jus quæsitum habentes, devolvi debeat? & responsum fuit indistinctè feudum non ad eos, sed ad Dominum reverti. neque id solummodò potest interpretari de tempore viventis Vasalli; si enim saltem post illius mortem, feudum ad agnatos reverteretur, non rectè diceretur: *ad proximos non reverti*, cum utique reverteretur etiam actualiter, licet eòdem propter impedimentum vitæ Vasalli carere deberent; atque statim eis jus quæsitum erit, et si dies nondum cesserit juxta *l. cedere diem ff. de V. S.* uti cum Fachin. argutè advertit Merend. *cit. loc. n. 3. in f.*

17 Nec moror aliquorum responsonem qui, si credam Fachinæo, afferunt per proximos *in cit. text.* tantùm intelligi filios Vasalli delinquentis. ita ut sensus sit: feudum non reverti ad proximos, id est filios Vasalli delinquentis, cum in iis metuantur vestigia Paterni sceleris, & ideo eos ad feudum aspirare non posse rectè statuatur. Hæc enimverò interpretatio profectò est commiseratione dignissima. eo quòd noti juris sit, proximorum nomine non solum filios, sed etiam agnatos venire *l. i. §. proximi ff. unde cognati. l. proximos de V. S.* dein dubium non erat, an feudum ad filios devolveretur *per tit. 31. feud.* ergo cum textus loquatur de proximis, utique est intelligendus de agnatis.

18 II. Ducitur *ex tit. 37. feud. 2.* ubi quæstio movetur de privatione feudi ob delictum, & respondetur: *quia tamen erga Dominum non fuerit facta, (felonia) ad agnatum proximiorum feudum pertinebit, si Paternum sit; cum autem ad Dominum respicit felonia, feudum tunc Domino aperitur;* facit hic compilator oppositionem inter duos istos casus: ergo sicut in priori agnati, *exclusò semper Dominò,* succedunt in feudo antiquo, sic etiam in casu posteriori Dominus succedat *exclusis semper agnatis.*

19 Nec obstat, quòd nullum exemplum currat quatuor pedibus, sed plerumque claudum sit, ut ait Berlich. *p. 2. concl. 35. n. 7.* & sic etiam horum casuum differentia sit, quòd in utroque quidem feudum revertatur ad agnatos in priore, & ad Dominum in posteriore, sed cum hæc differentiâ: quòd ad agnatos illud abeat irrevocabiliter. Ast datæ hujus differentiæ, & distinctionis in textu nullum inveni indicium, nec si agnatis feudum deberetur post mortem Vasalli, propriè diceretur feudum Domino aperiri, cum illud agnatis statim acquireretur, licet illud possidendi facultatem pet aliquot tempus impeditam habeant.

20 Confirmatur *ex tit. 31. feud. 2.* Vasalli feudum delinquentis, licet ad agnatos quandoque pertineat, filius tamen ad id nullatenus aspirabit, si quandoque tantùm ad agnatos pertineat; innuitur etiam dari casus, quibus feudum ad

ad illos planè non pertineat, pertinet autem *quandoque tunc*, ubi culpa non fuit in Dominum commissa. ut patet *ex cit. jurib.*

III. Dominus, & vasallus pari debent ambulare passu, *tit. 7. § 47. 21*
feud. 2. sed Dominò feloniam committente in personam Vasalli, dominium directum illico transit ad Vasallum, ita quidem, ut Dominò directò mortuò non teneatur restituere successoribus Domini directi *per tit. 26- feud. 2. vers. Domino.* Eo quòd Dominò directò cum utili consolidatò res desinat esse feudalis, uti explicat Schrader. *de feud. p. 6. cap. 7. n. 8.* Rosenthal. *cap. 11. q. 19.* Herman. Obrecht, & alii citati à Prænobili & Magnif. D. Herm. Ant. de Chlingenp. *cit. tr. aff. 80. n. 7.* ergo etiam Vasallus committens feloniam in personam Domini directi, aded cadet dominio utili, ut Dominus id nunquam agnatis teneatur restituere.

IV. Eruitur *ex tit. 55, feud. 2.* ubi dicitur: *feudum amittant, & liberè ad 22*
Dominum revertatur, si liberè revertatur, cur id tenebitur restituere? liberè enim me hercule, nihil revertitur, quod habet annexum onus restituendi; ex quo etiam text. sat commodè infertur, Dominum non teneri agnatos extraneis præferre, si feudum ad se reversum rursus vellet elargiri, uti contra paucos alios defendit communis cum Merend. *cit. loc. n. 8.* Amodò vi- 23
deamus, quantum roboris habeant argumenta opposita.

Ad I. R. axiomata allata obtinere tunc, si contrarium in jure non fuerit statutum, quod tamen factum fuisse probant textus mei & rationes adductæ; atque hoc jure meritissimo; cum sic Vasalli ad hoc, ut feudum in familia conservent, omnem fidelitatem, assiduitatem omnem, Dominò facilius exhibeant, qui nulla alia de causa feudum concedit, quam propter fidelitatem, Merend. *cit. cap. n. 18.* sicut ergo filii tenentur luere delictum Patris, quia ita statutum est eos privari feudo, & aliis etiam in criminibus *per l. quisquis §. filii Cod. ad l. jul. Maj.* licet aliàs ordinariè filius non portet delictum Patris; sic etiam agnatos ob delictum Vasalli puniri (si tamen puniantur, uti statim videbimus) ideo sustineo, quia id ita jure statutum est ex speciali ratione citata: *ut Dominus injuria sua habeat ultionem, nec id sapit duritiem, aut iniquitatem;* cum Vasallus maximè Domino directo fidelitatis juramentò adstrictus sit & sub ea conditione feudum acceperit.

Ad II. R. *sub distinct.* habent jus quæsitum à primo acquirente absolutum N. conditionatum C. sic etiam C. *Cons.* ergo & ipsis nequit adimi sine illorum factò, si jus eorum esset absolutum T. si sit tantum conditionatum N. pulchrè enim advertit Fachin. *cit. controvers. vers. quòd verò.* jus hæc solummodò esse conditionatum, cum feudi concessionis ab initio tacita hæc conditio censeatur inesse: *nisi Vasallus, vel quisdam successor indignum se faciat hocce meo beneficio, vel liberalitate.* id quod, si quis ex post fecerit, præjudicabit etiam agnatis, non tamen ex delicto proprio principaliter, sed tantum accidentaliter, cum Vasallus ponat actum conditionis eversivum, sub qua feudum concessum erat. & hinc feudum ex natura sua positò delictò revertitur ad Dominum, cum res desinat esse feudalis. *dixi superius transeat.* licet enim
jus

- jus, quod agnati habent, foret absolutum; tamen standum esset dispositioni
 juris feudalis, quod & ipse Vultei. *cit. loc. n. 146.* agnoscit, dum sic ait: *ve-*
rum tamen sic lex scripta est, qua, ut durior videretur, custodienda nihilomi-
nus fuerat arg. l. prospexit ff. qui & à quib. manumiss. utcumque contrarium
videatur æquius, quod nisi lege regulatum, & informatum, non attenditur.
- 25 Unde vides potissimum adversæ partis fundamentum tam facile dissolvi; Ad
 id quod additur, scilicet: sententiam hanc dare occasionem collusionibus *ꝛ.* id
 planè per accidens esse, præter & contra intentionem legis, si tamen eam in-
 tervenisse probaretur, feudum utique agnatis obvenire deberet. & Dominus
 insuper, si non domini directi amissione, saltem arbitrariè puniendus foret.
- 26 Ad III. N. quod à contractu ad delictum bona ducatur paritas, ut pat-
 tet in sexcentis exemplis; maximè si contrarium fuerit à jure statutum, uti hic
 delicta agnatis nocere statuunt *text. sup. citati ut §. fin. tit. 24. feud. 2.*
- 27 Ad IV. et quidem argumentum à pari in specie satis turgidum *N. con-*
sequentiam, quia generaliter constat delictum Clerici non debere nocere Ec-
 clesiæ, *ad probationem* nego rationem dictæ constitutionis esse, quod is cau-
 sam à suo Antecessore immediatè non habeat. Sed aliam; hanc nimirum: quod
 feudum non solummodò Prælato, & Clerico, sed etiam Ecclesiæ æque prin-
 cipaliter concessum sit; unde idem quoque de agnatis in hac controversia di-
 cendum foret, si iis æque principaliter, ac Vasallo feudum concessum fuisset
 per simultaneam investituram; per quam investiti constituuntur Vasalli specie
 diversi, quibus factum alterius nullatenus nocet; sed cum in casu posito, Ag-
 nati quidem etiam jus habeant à primo acquirente id tamen in actu secundo
 priùs obtineant per ordinem successorium, & quidem juri feudali conformem,
 hinc in iis contrarium obtinebit, utpote à jure feudali statutum.
- 28 Alii hanc instantiam aliter solvunt. *ad text. cit. in tit. 40. feud. 7. cum*
Merenda cit. loc. n. 15. dicentes, hoc specialiter sic statutum esse in favorem Ec-
 clesiæ. rationem addit. *cit. Author* si enim generaliter id verum fuisset, non op-
 portebat, ut specialiter exciperetur feudum Ecclesiasticum; nam jus singulare
 in uno, ostendere jus contrarium in altero docemur *ex l. 1. vers. illud fortissi-*
mumque de offic. Sed, ut verum fatear, hæcce methodus paritatis nodum &
 difficultatem effugiendi, non placet, cum necessarium non sit ad eandem con-
 fugere.
- 29 Ad V. *ꝛ.* Vultei; intentionem esse satis humanam, & æquam: sed vi-
 detur falso laborare supposito, quod agnati in feudo absolutum habeant jus
 quæsitum, cui factò Vasalli præjudicari nequit; cum suprà jam dictum sit, jus
 illud tantum esse conditionatum, & hinc satisfaciendum potius est. *§. fin. tit.*
24. feud. 2. Dominòque sua ultio relinquenda, quàm alteri rationi: *ne agnatis*
de jure suo quidquam decedat cum illud nullum sit, ubi Vasallus deliquit. eo quod
- 30 res hoc ipso, tunc desinat esse feudalis. Audiatur Petr. Gudel. *de jure feud. p.*
5. cap. 4. n. 3. ita differens: *delictum Vasalli ingrati non directè nocere agna-*
tis, sed tantum per consequentiam; nec puniendorum aliquorum, qui nec deli-
querunt, causâ, ita constitutum esse, sed quia ex natura contractus feudalis ta-
citè

ritè illud actum videatur, ut aliquo ex futuris Vasallis Dominum graviter offendente, feudum ad Dominum prorsus rediret, haberetque hanc saltem suæ injuriæ ultionem.

Nec audiendus est Struvius qui *cit. loc. aph. 14. n. 3.* dicit, hanc tacitam conditionem esse contra naturam contractûs feudalis; quippe quò omnes primi acquirentis descendentes ad successionem vocantur. adeòque nemo eorum absque culpa, vel propria, vel Patris, delationem successionis impediende, à successione excludi potest. Nam ex una parte à Struv. *cit. loc.* non probatur, tacitam hanc conditionem repugnare naturæ contractûs feudalis; quòd tamen fieri deberet: ex altera verò prudenter præsumitur, feudum à Domino (ex mera liberalitate id concedente) non aliter Vasallo ejusque successoribus dari, quàm, si omni tempore debitam fidelitatem exhibeant, & Inramentum suum adimpleant. *Ad confirmat. R.* cum Fachin. paritatem illam cum fidecommisso ideo non procedere, cum aliud sit in jure feudali statutum; ut nimirum feudum non ad proximos: sed ad Dominum indistinctè & liberè revertatur, si felonia in ipsius personam sit commissa; quòd utique non fieret, si feudum Vasallo mortuò agnatis foret restituendum. atque hoc modo pariter respondetur ad regulam desumptam ex *cit. text.* Negatur enim jure feudali contrarium expressè statutum non esse. vid. fufius Fach. *cit. loc. vers. ad argumenta verò tertiæ opinionis.*

Ad VI. R. citato §. fin. tit. 24. feud. 2. per hanc interpretationem magnam vim inferri. Nam si feudum solummodo ad vitam Vasalli Domino aperiretur; falsum esset dicere: feudum sive beneficium reverti ad Dominum, & non ad proximos, quòd idem esset ac dominium utile consolidari cum Domino directo; sed hoc non potest dici, cum text. in tam ardua, & adeò controversa quæstione responsionem genuinam, & in terminis propriis accipiendam subjecisse, præsumatur. dictam autem propositionem tunc falsam esse, inde eruitur: quòd si feudum post mortem Vasalli agnatis esset restituendum, non ipsum feudum ejusque Dominium, sed tantum commoditas percipiendi fructus ex re feudali ad tempus in Dominum transirent, sicut id in confiscatione fidecommisssi, aperturæ feudi Ecclesiastici &c. fieri asserunt Interpretes. Si enim dominium transferretur, utique illud absolutè, & sine onere restituendi fieri deberet; cum onus tale in translatione Domini incassum adstruamus, si id textus clari non evincant; nullum autem textum adversarii possunt adducere, qui vel umbram hujus oneris restituendi præferret. Hæc responsio ex ipso textu ulterius confirmatur; ibi: *si vero non in Dominum, sed alium graviter deliquerit, feudum amittit, & non ad Dominum, sed ad proximos redit*, quòd utique de translatione absoluti Domini est intelligendum; ergo etiam in priorè textu, cum hi casus sint contrapositè, & contrariorum eadem sit ratio.

Nec quidquam adversariis facit ratio textui illi subjecta, ut saltem hanc habeat injuriæ suæ ultionem. quasi ista textum ad solum Vasalli vitæ tempus restringeret, cum ultio tantum à delinquente sumi possit, nam *R.* etiam in mea sententia ultionem directè tantum sumi à Vasallo delinquente, & non

non ab agnatis; quod autem hisce etiam ultio indirectè, & per consequentiam noceat, non est absurdum nec iniquum. partim, quia id, (verbis utor Fachinæi) speciali aliquâ ratione in feudis non absurdum, & iniquum reputatur; partim, quia Agnati non habent jus succedendi in feudo, si quisdam ex Antecessoribus feloniam in Dominum commiserit; eo quod tunc repellatur conditio: *nisi Vasallus, vel aliquis ex ejus successoribus, injuriam mihi intulerit.* sub qua feudum solummodò concessum fuerat, ob specialem, qua Vasallus Domino obstringitur fidelitatem; Neque contrarium suadet æquitas; ac licet suaderet, tamen ea effectum non fortiretur, per vulgarem regulam in *l. 12. ff. §. 1. ff. qui & à quib. man. quod quidem perquam durum est; sed ita lex scripta est.* Particula *saltem* textui apposita iterum nihil obest; facile enim casus eveniet, quo Dominus Vasallum, suæ fors jurisdictioni exemptum, aliter punire nequiret, quàm per privationem feudi, & hinc *saltem hanc* habebit suæ injuriæ ultionem; cum & Vasallus atrociori forsan vindictâ coercendus esset, si consideretur specialis ratio fidelitatis Domino debitæ, & maximæ ingratitude quæ committitur in eum, à quo feudum merè liberaliter processit.

35 Ad VII. Respondet Merenda citatum textum de jure veteri loqui; quod & verum esse reor, cum utatur his verbis: *concessa erat, submovebatur, potior erat &c.* & id insuper clarè evincatur inde, quod mentionem unicè faciat, quomodò olim alienatio, & retractio feudi permessa fuerit; quæ jura cum per constitutiones Lotharii, & quidem Friderici Imp. immutata sint, & Vasallus ob alienationem feudi eò illico privetur; novissimis juribus in cit. *Tit. 24. §. fin. feud. 2.* expressis standum erit.



QUÆSTIO IX.

An ob furtum simplex primum & magnum locum illico habeat laquei supplicium, an verò pœna solummodò extraordinaria pro arbitrio Judicis dictanda?

S U M M A R I A.

1. 2. Furtum priùs tempore Frid. & Carol. Imp. induit naturam criminis publici. 3. 4. 5. pœnam laquei furto impositam, iniquam esse sustinent varii. 6. ad 11. qui tamen refutantur remissivè, 11. 12. 13. deciditur, quænam vis requiratur ad hoc, ut furtum dici possit seditiosum? 14. ad 20. *Controversia*

troverſiæ propoſitæ DD. pro affirmativa militantes & eorum rationes afferuntur 20. 21. negativa tamen reſolvitur & probatur 22. ex hoc etiam, quod fur ex primo furto, ut ut magno, non colligatur eſſe incorrigibilis 23. ad 27. reſutatur Carpzov. 27. in ſententiis dubiis mitior pars eſt eligenda, 28. notatur Carpzov. aſſerens ſententiam ſuam non eſſe dubiam. 29. 30. confirmatur hæc ſententia ex art. 161. 31. reſpondetur ad tit. 27. feud. 2. 32. enervatur fundamentum Baldi, 33. 34. oſtenditur, quâ ratione verum ſit: in atrocioribus jura poſſe transgredi 35. 36. explicatur art. 160. & eum pro me facere demonſtratur.

Furti crimen, licet ſemper pro graviffimo ſcelere etiam ab ipſis Barbaris I (exceptis quibusdam gentibus, quarum Tacitus meminit de *morib. Germ.*) habitum ſit, aded, ut jam apud Athenienſes, Lege à Dracone ſtatutâ, cautum fuerit, etiam oluſculi furem mortis ſupplicio mulctandum eſſe, referente Mynſingero in §. *furtum eſt I. de oblig. quæ ex delict. n. 9.* Id tamen 2 Jure civili Rom. non pro crimine publico, ſed privato habitum fuiſſe clarè patet ex l. *f. ff. de furt.* ubi dicitur: *accuſatorem in crimine furti debere ſubſcribere ad pœnam talionis, licet publicum non ſit crimen.* Donec poſtea ob hujus delicti frequentiam indies accreſcentem Fridericus I. in *tit. 27. §. ult. feud. 2.* & ejusdem veſtigia ſecutus Carolus V. Imp. in *art. 60.* ſaluberrimè ſtatuerint: fures, qui quinque, vel ultrâ ſolidos furati fuerint, laqueo perimendos eſſe. Blumbl. *ad cit. art. n. 3.* Berlich. *p. 5. concluſ. 43. n. 29.* Quas Friderici & Caroli V. conſtitutiones, licet aliqui citati à Carpz. *prax. crim. p. 2. q. 77. n. 7.* Menoch. *de arbit. judic. lib. 2. cent. 3. caſ. 295. n. 13. in fin.* ac potiffimum Calviniani TT. rigidas nimis eſſe, & ſalvâ conſcientiâ in praxin deduci non poſſe, ſuſtineant; aded quidem, ut aſſerere non vereantur, Fridericum, ejusque ſucceſſores ob hanc legem malâ morte obiiffe, neque illorum generationem ad tertium gradum perveniſſe, (quorum ſomniorum AA. vid. apud Prænob. & Magnif. D. Herin. de Chlingenſp. in *Differt. de oblig. jur. Civil. in Conſcientia. q. 18. n. 16.*) reſutantur ii tamen dexterrimè à Menoch. *cit. loc.* fuſè à Carpz. *cit. q. p. tot.* & compendioſè à Dre Glettle in *Juriſp. terribili cit. p. 1. c. 1. §. 8. n. 9.*

Horum pseudo-Theologorum veſtigia RR. quidam premunt, & cum 4 Bachov. *ad Treutl. vol. 2. d. 30. th. 3. litt. 9.* Wiſſenbach *ad ff. diſp. 29. th. 18. vol. 2.* Amad. Eckolt *ff. tit. de furt. §. 12.* hanc Caroli ſanctionem, injuſtiæ & ſummæ iniquitatis arguere non dubitant, niſi certè temerario.

Fundamentum eorum præter cætera plurima, quæ longò ordine ex Harp. 5 & aliis adducit Carpz. *cit. loc.* potiffimum in hoc conſiſtit: quòd pœna, ut ſit juſta, delicto ſuo debeat eſſe proportionata; mortis vero ſupplicium furti delicto minimè eſſe proportionatum! qualis enim proportio inter furtum 6. imò mille aureorum, & inter vitam hominis omnibus bonis fortunæ longè eminentiorem? ergo pœna furti eſt iniqua & injuſta, cum ſit delicto ſuo impropor-
tionata.

- 6 Quibus malè feriat Criticis laudabiliori Zelo se opponit uniuersa ICtorum, tam Orthodoxorum, quàm A catholicorum schola, pœnam laquei factò impositam, iustissimam esse contendens, cum Molin. *de I. & I. tr. 2. disp. 695. n. 1. & 7. Layman. L. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. ult. Struv. exercit. adff. 48. th. 23. Zoes adff. de furt. n. 31. Wisenb. n. ult. eod. Blumblach. ad art. Carol. 162. n. 2. Claf. ad eund. & aliis inumeris pluribus, quos in fusissima copia videre est apud Carpzov. *cit. q. 77. n. 18.* quibus & ego lubenter subscribo, & pro palmaria ratione hanc assigno: quòd Imperium Supremo Principi in Rempubl. à DEO datum sit illimitatè, & irrestrictè, eoque uti possit in tantum, quantum exigit salus reipub.; sed salus reip. tam tempore Friderici, quàm Caroli V. Augustiss. Imp. voluit, ut ad coercendam nimiam furum proteruiam, & horrendam illorum malitiam pœna grauior, & quidem mortis supplicium furto imponeretur, ergo iustissimè illud fuit impositum.*
- 7 Pro hac similiter opinione ex Balth. Meiffin. *Philosoph. sobr. sect. 2. q. 3.* pulchrum dilemma adstruit Carpz. *cit. l. n. 28.* hoc modo: aut necessaria (consequenter iusta) fuit lex furibus ultimum supplicium decernens aut non necessaria. Si fuit, cur accusatur iniustitiæ? si non fuit: imprudentiæ & iniquitatis arguendum erit summum Caput, omnesque Imperii status: omnes Theologi, omnes ICti, qui, (dum eorum operà in omnibus usus est Augustiss. Imp. uti pulcherrimè patet ex *prefat. Carolina*, vers, *dennach haben wir sambt Churfürsten/ Fürsten und Ständten* &c.) non tantum LL. sed etiam æquitati, quam ex mandato Augustiss. Caroli præ oculis habere debuerunt, hanc sanctionem convenientem esse unanimiter iudicârunt; sed hoc cogitare nefas est, & insolentem sapit arrogantiam: quasi tot eximii viri ingenio, & iudicio hoc vel illo Critico inferiores fuissent; ergo prius membrum verum manet, manebitque.
- 8 Fundamentum aduers. allatum retorqueo cum Glettl. *cit. l. n. 14.* & ex aduerso sciscitor: an iusta fuerit lex illa mortem corporis, & animæ inducens, quam DEUS imposuit Adamo, si de arbore prohibita fructum gustaret? negare hoc velle effet blasphemia ab aduersæ sententiæ Patronis sine totius orbis vindictâ non admittenda. Affirmantibus igitur sic insto: nulla proportio est inter esum pomi prohibiti, & inter corporis animæque interitum: miserandam omnibus posteris conditionem: infinitas omnium malorum illiades, & unicam humanæ miseriæ scaturiginem; nulla est inquam proportio, ergo secundum aduers. rectè infero: lex illa à supremo LLatore lata, fuit iniqua & iniusta. Aut enim utrumque concedant, aut etiam obstinatam, & malè fundatam de Carolina pœnali censuram reuocent, oportet.
- 9 Iterum aliter: vel lex furto pœnam quadrupli imponens fuit iniusta, vel non, si fuit? DEUS ipse iniquitatis malitiosè arguendus; utpote, qui hanc pœnam in legibus Mosaicis furto imposuit. si non fuit? edicant, qualis proportio sit inter simplum ablatum, & inter quadruplum restituendum?
- 10 Ad ipsam autem argumenti difficultatem ut deveniam, R. nullam esse quidem proportionem, inter 6. & 7. imo mille aureos, & inter humanum sanguinem; sed nego suppos. quòd propter illorum ablationem furcæ supplicium unice dicitur; sed idèd, quia id exigit bonum Commune, & ut occurratur frequentia

quentiæ furum. Facile enim aliàs latrocinii grassari, & seposità in maximum RPcæ detrimentum agri culturâ; rapinis, furtis &c. indulgere sibi persuaderent homines, cum & adhuc hodie, pœna mortis non relevet, quò minùs atrocissima furta, tantâ in frequentia committantur. Prænob. & Magnif. D. de Chlingenf. in cit. *dissertat. jurid. de obligat. juris Civilis in conscient. q. 18. n. 7.* D. Glettle *cit. loc. n. 14.* qui in contrariam sententiam hanc vibrat censuram: quòd planè sit *improbabilis, & digna, quæ atro carbone notetur, & que reipub. litteraria confusio, ceu scandalosa & turbis obnoxia, pœnali decreto proscribatur.*

Quæ Criminalis constitutio quidem ad omnia furta nullatenus extendi potest; furtum enim parvum pœnâ arbitrariâ & habitâ proportionem ad rem ablatam, puniri debere, nec pœnâ mortis mulctari posse in aprico est. sicut econtra nullatenus dubitandum, quòd furtum qualificatum, & seditiosum, licet primum sit, ultimo statim supplicio mulctetur; uti clarè statuit Carolina in *art. 159.*

Quenam autem vis requiratur ad hoc, ut furtum dicatur qualificatum & seditiosum? An concensio, & effractio præcisè violenta, & seditiosa, armis periculosis publicam pacem turbantibus adhibitis, requiratur? An vero levis etiam sufficiat effractio, vel ascensio qualiscunque, etiam si non seditiosa, ut puta: si quis horreum, tugurium, aut stabulum effregerit: ædes rusticas limo conflatas securi disjecerit, fenestras ruperit? &c. Lis est non levis inter DD.

Prins vult Gomez. Carpozov. *part. 2. q. 79. n. 161.* quem uti aliàs sequitur Blumbach. *ad art. 159. n. 3.* Posterius, si D. Glettle *cit. §. 8. n. 22.* credam, contendit eximius JC. Otto Tabor in *Racemat. Crimin. pag. sibi 480.* cujus sententia licet utique sit probabilis: Carolina constitutioni quàm maximè consona, & sicut à Verbis, sic etiam à mente ejusdem forsitan non abluens; cum dicta Carolina in *cit. art. 159.* de ascensione mentionem faciat, nec ullam pacis violationem de essentia requirat: Quia tamen in criminalibus controversiis dubiis (præsertim in furto uti pulchrè explicat. Magnif. D. Herm. de Chling. *cit. q. 18. n. 7.* juxta commune brocardicon quòd *Judicem in puniendo fure non facile lenitatis, in condemnando verò homicida non facile severitatis penitere debeat*) benignior semper pars eligenda est, & contra eum interpretatio facienda, qui legem potuit dicere apertius. *cap. 57. de R. 7. in 6.* Brunn. in *process. inquis. cap. 9. n. 86.* hinc alteram in judicando amplectendam esse cum plurimis aliis Author essem; quæ & inde non exiguum robur capit: quòd notum sit, constitutioni Carolinae quo ad pœnam laquei furibus dictandam, ansam dedisse constitutionem Fridericianam in *tit. 27. feud. 2.* hæc autem tantum procedat de furibus, qui primâ statim vice etiam violârunt pacem publicam. Accedit, quòd leges pœnales interpretatione molliendæ potius sint, quam asperandæ *L. penult. ff. de pœn.* Et hæc dicta de furto qualificato eatenus etiam procedunt, licet id magnum non fuerit, id est quinque solidos non æquaverit; cum laquei supplicium non in pœnam rei ablatæ, sed fractæ pacis temeritatem latum fuerit. *art. cit. 159. Es sey groß oder klein &c.*

Sed an idem etiam procedat in furto simplici, si id magnum sit; ita ut

fur primâ vice quinque solidos auferens laqueo statim puniri possit? Controversia est in foro frequentissima, & in scholis sanè ardua.

Affirmat id Bald. *in Auth. sed novo jure Cod. de serv. fug. n. 3.* Menoch. *de arbit. jud. l. 2. cent. 7. cas. 259.* Covarruv. *l. 2. varf. resolut. cap. 9. n. 7.* Guido Pap. *decif. 589. n. 1. & seqq.* & alii, quos citat, & sequitur Carpzov. *p. 1. q. 78. n. 21. 72. 73. 74.* &c. asserens sententiam hanc per totam ferè Germaniam usu, & praxi receptam esse, & contrariâ longe probabiliorem, si cum grano salis accipiatur, ita ut iudex ad dictandam laquei pœnam adstrictus non sit, sed insigni demum malitiâ Rei apparente, aliâque justâ causâ concurrente, pœnam suspendii furi tutò queat imponere. cujus vestigia premit Christoph. Blumblach. *ad Carolinam art. 60. n. 2.* sententiâ hæc sequentibus argumentis stabilitur.

- 15 I. Argumentum ducunt ex cit. *tit. 27. §. si quis quinque solidos feud. 2.* ubi, qui quinque solidos, aut plus, primâ licet vice, subtrahit, in furcam agi jubetur, ergo & id locum habebit in Carolina cum ut superius dictum est, ea in exemplum constitutionis Fridericianæ lata sit.
- 16 II. Baldus argumentatur ex *L. si is qui tres 31. §. ult. ff. de excusat. tur.* ubi disponitur: quòd, licet tria onera tutelarum requirantur regulariter ad hoc; ut quis à quarta tutela sit immunis, tamen etiam sufficiat unica tutela, si ea magna sit, & amplum contineat patrimonium; ergo etiam à pari, licet regulariter tria furta ad incurrendam laquei pœnam requirantur, sufficiet tamen etiam unicum, si id magnum sit, & aliis tribus æquivaleat.
- 17 III. In atrocioribus concessum est leges transgredi *l. 6. §. 9. ff. de injusto rupt.* Ubi deciditur quòd licet generaliter in omni causâ præcipue Criminali locum habeat appellatio, eam tamen iudex ex causâ denegare possit, ut si immineat aliquod periculum vel scandalum in Republ. *l. 13. §. 16. ff. ad S. Syllan. l. 1. Cod. de precib. Imp. offerend.* ergo etiam in furto atrociori licebit transgredi jura; præsertim cum crescentibus delictis pœnæ quoque sint exasperandæ *arg. l. 16. ff. de pœn. & gravius plectantur, qui magnas res auferunt, quam qui parvas l. 1. §. 2. ff. de abigeis. l. 4. §. 1. ff. mandat.*
- 18 IV. Quid indignius, & iniquius foret, quàm furem ob 6. aureos separatim tribus vicibus ablatos suspendi debere: alium vero, qui primâ statim vice mille surripuit, liberari, & pœnâ solùm extraordinariâ affici?
- 19 V. Et principaliter cum Carpzov. *cit. q. n. 73.* adversarij se fundant in verbis satis, ut ajunt, manifestis *Carolina pœnalis art. 160.* ibi: *so aber der Diebstahl groß / 5. Gulden / oder darüber wehrt wäre / und der Umstand / so den Diebstahl / wie oben davon gemeldet ist / beschwerend / keine darben erfunden würd; aber dennoch angesehen die größe des Diebstahls / so hat es mehrer Straff dann ein Diebstahl / der gringer ist; und in solchen Fällen muß man ansehen den Wehrt (NB) des Diebstahls; mehr solle ermessen werden der Standt 2c. und die Straff darnach NB. an Leib und Leben urtheilen.* Negari hic nequit, inclamat Carp-

Carpzovius ex mente Caroli V. Imp. furtum etiam primum simplex absque effractione aut violentia commissum, de quo in *cit. art.* solum agitur, iusta ex causa mortis supplicium infligi posse. *In Leib / und Leben* &c.

Verum, etsi hæc sententia ob gravissimum tantorum Virorum assensum 20 & specialem locorum quorundam consuetudinem, qualem in Saxonia vigere refert. *cit. Author. n. 74.* non sit improbabilis, nec à vero, ut quidam ex nostris volunt, Jcto aliena; si tamen æquitatem, & Carolinæ mentem non obiter, (uti facere videtur dictus Auth.) sed pensiculatius, & attentius considerare velimus: sententia contraria negans furem ob primum furtum, ut ut enorme, suspendi posse, in theoria longè probabilius videtur; quam tuentur Cæpoll. *in Auth. de novo jure Cod. de serv. fugit. n. 76.* Jason *in l. 15. ff. de Condict. caus. dat. caus. non secut. n. 7.* Roland à Valle *vol. 1. conf. 51. n. 5. & 43.* ubi etiam *n. 7.* contrariæ sententiæ Authores Deum ultorem habituros esse, & syndicatibus pœnas luere debere, non obscure significat. Harpr. *in §. 5. Inst. de obligat. quæ ex delict.* ubi longissimum DD. recenset Catalogum Farinac. *pr. Crimin. q. 23. n. 3.* Damhoud. *prax rer. Crim. c. 110. n. 35.* Ant. Gomez. *in §. ex maleficio f. de act. n. 13. & Tom. 3. var. resol. cap. 5. n. 11.* ubi adducit varias rationes, quæ tamen contra adversam sententiam, post latam Carolinæ Nemesin parum, imò nihil fringunt *Jur. Clar. l. 5. sent. §. 5.* attestans de praxi communi, atque se vidisse asserens, furem quemdam ob mille ducatorum furtum. Primum, pœnam motis evasisse. Math. Coler. *p. 1. decis. 144. n. 20.* Prænob. D. Christ. de Chlingensp. *d. tit. lib. 4. q. 22. ob. 7.* quam sententiam sequentibus rationibus instruo.

I. Est, quod judici non liceat pœnam asperiores dictare, & irrogare 21 Crimini, ipsâ lege, *l. 11. & L. penult. ff. de pœn.* nec magis cantandum est, quam ipsa lex cantat, ut loquitur Roland à Valle *cit. conf. n. 6.* sed ubi furto primo simplici, licet magno, irrogaretur pœna laquei, asperior pœna dictaretur ipsâ lege; cum nullâ cautum sit, furem pro primo & unico furto, ut ut magno, ultimo mortis supplicio tradi debere, ergo &c.

II. Unicum motivum, quod Imperatorem movit ad præstituendum 22 furto ultimum supplicium, est sola reiteratio delicti, & incorrigibilitas furis, uti bene advertit Struv. *exercit. ad pandect. 48. th. 21. q. 3. arg. l. 28. §. 3. ff. de pœn.* ubi statuitur delicta, quæ aliàs non sunt capitalia, ob solam reiterationem effici Capitalia; sed hoc motivum in primo furto, ut ut enormi, cessat; cum furtum primum, ut ut immane & horrendum non denotet furis incorrigibilitatem, quæ nisi ex frequentatis actibus cognoscitur; & certè tunc demum uti ait D. Gletle *cit. loc. n. 15. in fin.* species emendationis videtur conclamata & manifestum incorrigibilitatis signum adesse, ubi idem delictum diversis vicibus patratum est, & insuper reus pœnam his inflictam temerè contempsit, atque stiriatas virgarum occas passus est tergo suo, ceu agro insultare ergo &c.

Quod argumentum mihi videtur convincens. sed audiamus reclamantem huic Carpzovium, dum *n. 80.* sic discurrit: *frustra hæc disputari existimo. cum apud me certum non sit, sanctionem Carolinam reiterationem delicti tantum-*

tummodò respicere, eamque laquei supplicio puniri velle &c. tantum enim abest ob solam reiterationem laquei supplicium sibi locum vendicare; ut etiam in furto reiterato, quo ad pœnam mortis furi inducendam, rationem quantitatis, & valoris rei furtivæ habendam esse expressè sanciat Carol. V. in ordin. Crimin. art. 161. in fin. ibi: Wo aber solche zween Diebstähle fünff Gulden / oder darüber betreffend / so solle es ic.

24 Frustra sic perorat Carpzov. sicut enim probabilius est (uti etiam indicat Gomez. cit. *Tom. 3. cap. 5. n. 6.*) ante constitutionem Carolinam, ob furtum tertium, ex solo reiterationis capite, mortis supplicium infligi potuisse; cum in tertio furto mortis pœnam locum habere debere in jure nullibi cautum fuerit, id tamen communiter voluerint DD. eo quòd propter reiterationem delicti fur efficiatur famosus; famosus autem latro furcâ jubeatur suspendi *L. capitalium §. famosos ff. de pœn.* sic etiam probabilius erit, post Carolinam ob solam reiterationem, furto pœnam mortis impositam fuisse; nova enim constitutio ita semper venit interpretanda, ut minus ab antiquo jure recedat.

25 Probatione suâ, nimirum: quòd etiam in reiterato furto æstimatio rei ablatae haberi debeat, & ubi ea quinque solidos non excedit, fur ultimo supplicio liberandus sit; novam difficultatem aggreditur Carpzov. hoc loco non discutendam, & certò majorem, quàm ut tam obiter affirmari deberet. Illud unicum dico, quòd inspecto Carolinæ tenore etiam hæc Carpzovii sententia, ut ut humanitate, & æquitate blandiatur, minimè tenenda foret cum in *art. 161.* furto tertio pœna Capitalis absolute, & indefinitè jubeatur dictari, neque distinguatur, an æstimatio rerum ablatarum infra 5. Solidos consistat, an verò eos excedat? cur ergo nos distinguamus? præsertim cum juxta mea principia ideo furto tertio pœna laquei præcisè statuta sit, quòd frequens adeò hujus delicti repetitio manifestam furis arguat incorrigibilitatem; quæ æque adest, licet repetitis vicibus infra, quàm si ultra quinque solidos abstulisset. & hæc opinio non leviter inde confirmari videtur, quòd Imperator in *art. 160.* furto primo & in *art. 161.* furto secundo pœnas suas statuens diligenter distinguat: an quantitas rerum ablatarum quinque solidos superet an non? in *art. 162.* verò, ubi tertio furto laquei pœnam dictat, hanc distinctionem non ponat; ergo censetur voluisse, ut reus ex tertio furto indistinctè ultimo supplicio tradatur, & quidem ob ejus incorrigibilitatem, cum certè præsumi nequeat, eum, qui toties etiam levia surripuit, suo tempore à majoribus furtis esse temperaturum.

26 Ad adductum *art. 161.* R. eundem pro me, & non pro Carpzov. facere. justè enim in illo statuitur, quòd in furto secundo debeat haberi rei æstimatio, quia fur nondum censetur fuisse incorrigibilis; id quod tamen esse in tertio furto plenè censetur. Unde non tam propter furtum, quàm incorrigibilitatem mortis supplicio traditur.

Et insuper talis fur tertio furans violento similis esse judicatur, uti pulchrè exprimit. *art. 162.* verbis: **Wird aber jemand betretten / der zum dritten**

drittenmahl gestohlen hätt / und solcher Diebstahl mit guten Grund / als vor von Erfahrung der Wahrheit gesehet ist / erfunden wird / das ist ein mehrer verleumbder Dieb / und auch NB. einen Borgewalter gleich gemacht / und soll darumb vom Leben zum Tod gestrafft werden. Sed fur violentus etiam punitur morte, licet furtum sit infra 5. solidos; ergo? Ecce! indistinctè hic pronunciat Imperator furem de tertio furto convictum suspendi debere nullam mentionem faciens an furtum 5. solidos superet, nec ne?

III. Quando ab utraq̃ue parte sententiæ sunt verè dubiæ, in Criminalibus semper eligenda est pars mitior *per l. 56. l. 155. §. fin. l. 192. §. fin. ff. de R. 7.* Id quod ipse etiam, ut debet, admittit Carpzov. *cit. q. 78. n. 81. per l. interpretatione 42. ff. de reb. dub.* sed sententiæ in hoc casu ab utraq̃ue parte sunt verè dubiæ: cum ex sententia Carpzovii, neque Carolina militet, neque ratio valida, neque potior interpretum numerus; ergo sententia mitior eligenda. quæ utique mea est, furè primi furti convictum à pœna ultimi supplicii liberans; nec in Criminalibus facile est amplectenda sententia severior: esto enim ea intrinsecè sit probabilis, contraria tamen est longè probabilior, probabilitate etsi non directâ, saltem reflexâ.

Et sibi ipsi contradicere videtur, Carpzov. *cit. loc. n. 74.* dum ait, in hac sententia sua dubium non versari (ubi mitiorem opinionem apprehendere pietas, & æquitas suaderent) & tamen illico subjungit: Judici facultatem dari à sententiæ hujus severitate recedendi. Si possit recedere, utique ideo, quia & contraria sententia est probabilis; si enim sua certa sit, quâ fonte sustineri potest, judicem ab ea posse recedere, qui ne latum quidem unquam à præscriptis sibi juris terminis valet deflectere? quo igitur fundamento asserit sententiam suam non esse dubiam: si enim certa non sit, uti probavi, evidenter sequitur eam esse dubiam: & sic mea prævalebit, cum in terminis juris dubii jubeant leges, ut præferatur pars benignior: jubeant, ut pœna mitigetur interpretatione: jubeant denique, ut interpretatio contra eum fiat, qui legem clarè dicere potuit.

Confirmatur hæc sententia ex *cit. art. 161.* ubi etiam propter furtum secundum magnum, solummodò pœna arbitraria infligi debere statuitur. *ibi so soll es mit Erfahrung aller Umständen / und gebrauchung der Rechts-Verständigen gehalten werden /* & ita in terminis hunc articulum interpretatur Blumbl. *in cit. art.* ergo multò minùs furtum primum magnum suspendii pœnâ mulctari poterit.

Et hanc sententiam hucusque Collegium facultatis juridicæ Tubingensis tenuisse cum *Besold. p. 5. conf. 205. n. 13.* testatur Harbrecht *ad cit. §. 5. 7. de oblig. qua ex delict. n. 64.* Pranob. D. Christoph. de Chlingensperg *d. loc. q. 22. ob. 7.*

Ad argumenta Contraria facilis est responsio.

Primo enim nec ipse Carpzov. *n. 22.* multum tribuit, cum text. ille feudalibus *l. 2. tit. 7. §. fin.* non de furto simplici, sed de seditioso, qualificato, & cum fra-

tionem pacis commisso intelligatur; id quod non solum ex rubrica *cit. §.* colligitur, sed & à Carpzov. *n. 27.* ex præcedenti *§. rusticos* satis benè probatur, igitur hæc constitutio non trahenda ad consequentiam, & ad hanc quæstionem ubi non de qualificato, sed simplici tantum furto agitur. Harprecht *cit. loc. n. 62.*

32 II. Et quidem Baldi fundamentum corrui se ipso, illudque in meum favorem sic verto: ideo unica tutela ampla, & extensum continens Patrimonium excusat ab ulteriori tutela, æquè ac tres aliæ; quia illa unica tutela tutorem æque occupatum, & sic quartæ ferendæ imparè, reddit, ac tres aliæ: quæ ratio assignatur à text. & DD. vid. *tit. Inst. de tutel.* sed furtum licet magnum, & tribus aliis æquivalens, non reddit furem æquè incorrigibilem, ac tria alia furta parva, quæ ob solam incorrigibilitatem furem furcæ addicunt: ergo ob furtum primum licet magnum fur non erit suspendendus. Unde vides magnam inter allatos duos casus existere differentiam; ideo enim in tutelæ excusatione una magna supplet vicem aliarum trium, cum in illa æquè, ac in his eadem excusationis reperiatur ratio, scilicet: amplitudo negotii; non verò in dictanda laquei pœna furtum primum, ut ut amplum suppleri potest vicem aliorum trium, cum in illo non reperiatur eadem ratio, ac in his, nimirum: furis incorrigibilitas. Quæ unica, juxta me, ratio est furem mortis condemnandi.

33 Ad III. R. Axioma illud, quod propter criminis atrocitatem jura liceat transgredi (uti notat Roland. à Valle *vol. 1. cons. 7. n. 45.*) sine grano salis acceptum, neque veridicum, neque juridicum esse, ordinemque legum confundere. Ernest. Cothmann. *Volum. 3. respons. 29. n. 386.* quid enim magis à pietate alienum, quid à ratione, & communi sensu magis absolum, quàm dicere: in criminibus levibus jura & præscriptas ab eo regulas observari debere; in atrocioribus & gravioribus delictis verò juris terminos violare licere? Cothm. *cit. loc. n. 387.* Citatam in oppositum legem interpretor, quod ibi speciales circumstantiæ factum aggravantes adfuerint, quæ si & in nostro casu adessent utique & jura transgredi liceret. inter circumstantias autem, furtum aggravantes non numeratur à Carolo V. furti magnitudo, sed tantum violentia, effractio, ascensio &c. Crescentibus quidem delictis etiam pœnæ crescere debent, & asperari. sed tamen intra legitimos cancellos; cum utique etiam magnum, & atrox furtum committentes, graviori pœnà, uti duriori fustigatione, magnâ pecuniæ multâ, relegatione, damnatione ad opus publicum, vel etiam perpetuâ incarcerationatione &c. valeant puniri. aliter etiam adhuc respondentem consule Harprechtum *cit. loc. n. 63.*

34 Ad IV. Nego hoc esse iniquum; cum, uti dictum est, in furto non tam quantitas rei ablata, quàm enormitas delicti, ejusdem iteratio & denotata per hoc Rei incorrigibilitas spectanda veniat.

35 Ad V. R. ex allato textu nihil probari. licet enim speciem de furto primo, magno, ac simplici (unde non placet responsio Harprehti, qui eundem de qualificato explicat, ad quem quælibet res ablata sufficit) ponat, statuâtque in illo quantitatem furti in æstimationem venire debere, Reumque secundum judicia Jctorum desuper requisita puniri posse; tantum tamen abest, ut concedat ob
primum

primum furtum magnum pœnam ultimi supplicii statim locum habere posse, ut potius contrarium per hoc innui videatur, quod ibidem solummodo dicitur: *so hat es ein mehrer Straff/ dann ein Diebstahl der geringer ist;* quod autem addatur, pœnam an Leib/ und Leben/ sumi posse, interpretationem accipit ex subsequentibus; nimirum: si circumstantiæ aggravantes concurrant, uti assensio &c. imo pœnam ultimi supplicii in dato casu locum habere non posse, manifestè indicant sequentia verba: *wo aber der Dieb zu solchen Diebstahl gestiegen oder gebrochen/ oder mit Waffen/ als vorsehet/ gestohlen hat; so hat er damit/ wie obgemeldt das Leben verwüreckt.* si enim tunc demùm ultimo supplicio fur dignus censetur, ubi in casu posito effractio, & violentia accesserit; quis non videt ab Imperatore statutum esse, si id tantum simplex sit, furem eo affici non posse? Certè hæc posteriora verba Carpzovius, aut non satis accuratè penetrasse (quod de tali Viro vix præsumo) aut studiosè omisisse (id quod jam pluribus in locis eum fecisse, notavi) videtur, quippe suo instituto non deservientia.

36



QUÆSTIO X.

*Utrum etas Minorennis causa sit mitiganda
pœnæ in Criminalibus?*

SUMMARI A.

1. 2. regulariter nequit Judex à pœnâ ordinaria reo infligenda desistere. & assignatur pro regula l. 11. pr. ff. de pœn. 3. Minor etas totalem à supplicio immunitatem non præbet. 4. quidam tamen DD. eidem pœnam ordinariam mitigandam esse volunt. 5. 6. 7. 8. 9. quorum præcipue rationes adducuntur. 10. contraria tamen præplacet. 11. ad 17. quæ ex variis legibus eruitur. 17. & ex Carolina art. 164. confirmatur. 18. 19. 20. solvitur l. 37. §. 1. ff. de Min. uti & l. 16. ff. de pœn. 22. 23. 24. ad l. 108. ff. de R. J. subtilem Merenda distinctionem facit, inter judicia Criminalia & pœnalia; quæ tamen non recipitur. 25. assignatur differentia inter contractus & delicta, quo ad restitutionem Minorum. 26. ad 30. variæ assignantur regulæ in puniendis senibus. 30. textus contrarii explicantur variè. 30. & hujus sententiæ DD. recensentur.

P 2

Licet

- 1 **L**icet ordinariè delinquens pœnâ ordinariâ delicto suo à legibus statuta, puniri debeat, cum iudex nec mitior, nec severior lege esse possit, *l. n. § penult. ff. de pen. Roland. à Valle conf. si. in pr. quorsum facit notabilis textus in l. 1. §. 4. ff. ad SC. turpill. ibi facti quidem questio in arbitrio judicantis est; sed pœna persecutio legis authoritati reservatur, adeo, ut si iudex crimen apud se probatum distulerit, seu omiserit, vel immunitate donaverit, aut molliorem, quam præstituta sit, pœnam protulerit, gravi infamiâ sit notandus, ut ait l. 8. §. fin. ff. ad L. jul. de vi publ. vel privat.*
- 2 Aliquando tamen iudici permiffum est ab ordinaria pœna deflectere, & exigentibus ita circumstantiis ad extraordinariam procedere; quarum circumstantiarum justam pœnas mitigandi causam præbentium, varia genera, & innumeræ classes: ab aliis 15 ab aliis 70 ab aliis adhuc plures referuntur; quas longo ordine deductas inveniet quilibet apud Mathæum *cap. 5. n. 5. Carpzov. pr. Crim. q. 142. usque ad q. 149.* & singulariter Tiraquel *in tr. de pœn. temperand. ad quos benevolum lectorem remitto, & pro regula assigno divinum illud Marciani JC. monitum in l. n. pr. ff. de pœn. verbis: perspicendum est judicantine quid aut durius, aut remissius constituatur, quam causa deposcit; nec enim, aut severitatis, aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso iudicio, prout quæque res expostulat, statuendum est:*
- 3 Verùm an ætas minoris inter hæc causas rectè ponatur? primæ notæ dubium est. Minorem enim verò delinquentem omni prorsus pœnâ exemptum non esse, communis, & satis certa est DD. sententia in variis iurium textibus apertè fundata, ut in *l. 10. §. nunc videndum ff. de minorib. ibi, & placet in delictis, Minoribus non subveniri; nec hic itaque subvenietur, nam & si furtum fecit, vel damnum injuriâ dedit, non subveniatur ei it. in l. 7. Cod. de pœn. impunitas delicti propter ætatem non datur, si modò in ea quis sit, in quam Crimen, quod intenditur, cadere potest idem habetur in l. 1. si advers. delict. l. 2. eod. l. 14. ff. ad SC. Sillan. l. 36. ff. ad l. jul. de adult. &c.* ex quibus omnibus luculenter satis probatur, Minores supplicio ob delictum non esse immunes; an verò neque pœnâ ordinariâ? in diversas DD. abire video sententias, aliquibus id affirmantibus aliis negantibus. Ego, ut verum fatear, utràque sententia theoricè considerata (praxin enim relinquo Viris inter assidua fori jurgia senectutem & maturius iudicium contrahentibus) adeo est probabilis, ut vix ullum ab alterutra parte possit adferri argumentum, quod non facili conatu in authorem suum refundatur. Labet tamen negantium parti me jungere, postquam alterius sententiæ rationes & fundamenta viderimus; itaque.
- 4 Sententia prima affirmat Minorem pœnâ delicti ordinariâ puniri non posse, sed mitius cum eo ob maturefcentem adhuc ætatem procedendum esse, ita cum *Gl. in l. ferè omnibus 108. in l. 1. vers. si criminaliter & vers. aut est atrox ff. de R. I. Aret. in §. 18. n. 1. Inst. de obligat. quæ ex delict. contendunt insignes interpretes, Farinac. p. 3. q. 92. n. 41. Odd. in Tr. de restitut. in integr. p. 2. q. 80. n. 72. & seqq. Andr. Tiraq. in tr. de pœn. temperand. caus. 7. n. 1. & seqq. imò etiam in delictis atrocioribus id locum habere defendit Franc.*

Franc. de Caldas in l. 5. Cod. de in integr. restit. min. Jul. Clar. l. 5. sent. §. fin. q. 60. n. 3. & in hanc sententiam inclinat Perez in Cod. tit. si advers. delict. n. 3. Zoes ad tit. ff. de pœn. n. 39. Menoch. de arbitr. Jud. l. 2. cas. 329. Wisenbach. ff. ad l. Cornel. de sicar. n. 25. & seqq. eamque cum innumeris aliis à se laudatis (quorum tamen aliqui aperte dissentiunt) DDribus. defendit Harpprecht. Inst. tit. de publ. jud. §. 5. n. 782. ac insuper n. 391. adferens consilium facultatis jurid. Tubing. verbis: **und da Beklagter nach minoris ætatis und die 25. Jahr seines Alters / welches uns jedoch unbewußt / nit erreicht hätte; so wäre solches gleicher gestalt** iusta pœnam mitigandi causa &c. Ant. Gomez. var. resolut. Tom. 3. cap. 1. n. 62. ubi etiam iudicem, qui rationem ætatis in Minore non habet, actione de syndicatu teneri affirmat. n. 63. Rationes, quibus sententia hæc instruitur, sequentes reperi.

I. Cum Harpprecht cit. loc. adducunt gravem, ut inquit text. in l. 5. §. 1. ff. de minorib. ibi: *in delictis autem Minor annis 25. non meretur in integrum restitutionem, utique atrocioribus; nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem perduxerit.* Ex qua l. duplex argumentum depromunt cit. AA, primum est: cum textus statuerit Minorem in delictis non gaudere restitutione, subdit: *utique atrocioribus* ergo saltem in atrocibus; de atrocioribus enim (uti postea videbimus communem sententiam negare) nec ipsi saltem plurimi, id procedere autumantur, uti in Crimine læsæ Majestatis, Hæresis, Sodomie, Veneficii &c.

Secundum. Quod per cit. verb. *nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam iudicem perduxerit.* insinuare videatur: ob ætatem licere iudici mitiorem pœnam delinquentibus minoribus decernere; imo teneri, ut ait Gomez. quia in iis, quæ iudicis arbitrio ad certam rei cuiusdam facultatem restricto, committuntur, uti id hic ad ætatem restringitur, tenetur arbitrari secundum id, quod concessum est.

II. In Aciem collocant l. 16. ff. de pœn. ibi: *in cuius consideratione ætatis quoque ratio habetur.* quam licet adversarii non multum urgeant; ego tamen illam alterâ longè validiorem esse existimarem, cum text. in §. 3. dixerit pœnam aliam, (utique mitiorem) liberis, aliam servis aliam iis, qui in extraneum, aliam qui in Dominum peccaverint &c. statuendam esse; illico subjungat: *in cuius quoque consideratione ætatis ratio habetur* ex quo manifestè colligitur Imperatorem idem dixisse, quàm si priora verba repetiisset: *aliam majoribus, aliam minoribus*, quod tamen in contraria sententia non observaretur, si minor in homicidio pœnâ ordinariâ Legis Cornelie afficiendus æque foret, ac Major.

III. Clarè id exprimitur in l. 108. ff. de R. I. ibi: *ferè in omnibus pœnali-bus judiciis, & ætati & imprudentia succurritur.* non succurreretur autem ætati, si Minores pœnâ ordinariâ, æquè, ac majores, afficerentur, & cum iis pari sorte fruerentur. Idem habetur in l. 1. §. impubes ff. ad SC. Silan. ibi: *etas enim excusationem meretur.*

8 IV. Minori in contractibus succurritur, ergo etiam in delictis. *probat*ur *conf.* ideo Minori succurritur in contractibus; quod naturalem sapiat æquitatem, ut illius partes suscipiantur, *cujus inter omnes constat fragile esse judicium, multis captionibus suppositum, multorumque insidiis expositum* ut loquitur Ulpianus Jctus in l. 1. in pr. ff. de minorib. Manz. in tr. de restitut. in integr. tit. 2. n. 2. sed hæc ratio etiam pugnat in delictis, cum utrobique Minor sit modici consilii, infirmæ judicii, præpositi imbecillis: ergo? ubi enim eadem est ratio, eadem quoque esse debet juris dispositio.

9 V. Senes juxta communiorem sententiam mitius sunt puniendi, & à pœna ordinariâ ordinariè liberi, ut Jctus non obscure significat in l. 2. ff. de termin. mot. verbis: *Et possunt in tempus, utcumque patiatur ætas, relegari, id est, juvenior in longius, si senior, rescisus hoc est brevius it. in l. 3. §. 7. ff. ad SC. Silan. ignoscitur etiam his, qui ætate defecti sunt,* uti defendunt Farinac. cit. q. 92. n. 23. Tiraquel. cit. tr. n. 1. & seqq. Gomez. cit. loc. n. 68. Odd. cit. tr. p. 2. q. 80. n. 109. Menoch. cit. l. 7. casu 329. n. 20. &c. Gail cum aliis à se citatis l. 2. observat. no. n. 3. juxta illud Lucani:

--- --- parcimus annis

donamusque nefas.

Ergo etiam minores eximentur pœnâ ordinariâ *pb. conf.* ideo senes mitius puniendi, quia perfectum iis, & plenum censetur deesse consilium; cum bonam judicii, & rationis partem per tot annorum lustra perdidisse præsumantur. Adeo quidem ut Accurs. in l. senectus Cod. de donat. apud Carpzov. probè dixerit: senes habere sensum puerilem, eosque omnibus modis in pueritiam revolvi, rursumque ad initium reverti scribat Aristot. lib. 86. q. 17. cap. 3. prout fusè demonstrat ex Tiraquello Carpzov. q. 54. n. 2. 3. & seqq. Gomez. cit. loc. vers. item, ex Baldo referens: Bulgarum antiquum Glossatorem adeo senuisse, ut ad pulverem cum pueris luderet; Sed etiam in Minoribus non est perfectum consilium, cum illud juxta cit. l. 1. ff. de Min. sit infirmum, multisque captionibus suppositum, ergo si senes mitius puniendi sint, punientur etiam Minores. Præsertim cum in variis legibus à Gomezio. cit. loc. adductis, afferatur, in puniendis delictis semper haberi debere rationem ætatis, conditionis, personæ, & qualitatis. Unicam in medium profero legem 6. in pr. ff. ad l. jul. peculat. verb. *Sacrilegii pœnam debet Proconsul, pro qualitate persona, proque rei conditione, & temporis & NB. ætatis, & sexus, vel severius, vel clementius statuere.*

10 Quibus tamen non obstantibus negativam amplector. Et quidem in delictis spiritualibus, uti Hæresi, Simonia &c. communis cum P. Schmalzgr. ad tit. de pœn. n. 13. Canonistarum est sententia, Minores mitius nequam puniendos esse, cum in spiritualibus major 14. annis habeatur pro Majorenni, & hinc ordinariâ pœnâ quam maximè plectendus, P. Engel ad eund. Tit. n. 2. König n. 3. Reiffenstuel. n. 4.

11 Id quod etiam locum habere in criminibus enormibus, constanter hætenus tenuit interpretum schola, uti in crimine veneficii, læsæ Majestatis &c. ad

ad quod tamen cit. AA, cum Farinac. cit. q. 92. n. 107. duo requirunt: ut delinquens sit egressus 14. annos, & insuper Princeps desuper consulatur; quæ duo in Urbe seruari testatur idem Farinac. cit. loc. Quò ad alia verò delicta non adeò enormia, sequentes id rationes demonstrant.

I. Id manifestè eruitur, ex l. 10. §. 7. ff. de minorib. ubi quæstio sequens deciditur: cum notum esset minoribus ob imbecille iudicium informemque adhuc ætatem, in contractibus subueniri; à Variis etiam dubitabatur, an non ob eandem rationem maturiorisque consilii defectum, idem etiam in delictis statuendum foret? ubi post aliquam hæsitationem negativa resolvitur, ibi: *Et placet in delictis minoribus non subueniri, nec hic itaque subuenietur.* 12

II. Clarè id indicant duæ illæ famosæ leges in tit. Cod. si advers. delict. quarum l. 1. sic habet: *licet in Criminibus quidem Minoribus ætatis suffragio non juventur, l. 2. sic ait. licet in delictis neminem excusari constet* ex quibus hunc in modum infero: si minores delinquentes à pœnâ ordinariâ forent immunes, tunc tam ætatis suffragio juvarentur, quam in delictis excusarentur; sed hoc est contra cit. text. ergo non eximuntur à pœnâ ordinariâ; id quod pulchrè confirmat subjecta cit. l. 7. ratio: *etenim malos mores infirmitas animi non excusat.* Unde colligitur neque æquitatem, neque jus exigere mitiorem Minorum delicto pœnam imponi. *Non æquitatem*, quia infirmitas animi non excusat, nec præbet sub levamen delinquenti. *neque jus*, cum id nullibi assignetur; & demum si ætas minori nil profit, nec excusationem subministret, cur pœna ordinaria locum non habeat? cum primum sit juris elementum, ordinariam pœnam in delicto tunc semper locum habere, si excusatio nulla adfuerit.

III. Apertè id meo iudicio probatur ex l. 14. ff. ad SC. Silan. ubi dicitur ætatis rationem in delictis non attendi, nec ultimi supplicii excusationem præbere, nequidem in impuberibus doli capacibus, ergo multò minùs in minoribus. verba cit. L. hæc sunt: *Tribus autem Germanus Legatus etiam de impubere sumi iussit supplicium, & tamen non sine ratione: nam puer nec multum à pubere ætate aberat, & ad pedes Domini cuberat, cum occideretur, nec postea eadem ejus prodiderat.* &c. quibus illico pro generali regula subjungitur: *qui verò ministri vel participes cadis fuissent, & ejus ætatis (quanquam nondum puberis) ut rei intellectum capere possent, his non magis in cæde Domini, quam NB. in ulla alia causa parci oportere.* Quod utique de pœna ordinaria intelligendum erit, & non tantum de extraordinaria; cum de hoc jam ante dubitatum non fuerit. Habemus ergo hic legem apertam, & rotundam, in delictis non ætatem, sed facinus & dolum ac doli capacitatem spectanda esse: *ut rei intellectum capere possent.* si ergo hoc in impuberibus jura statuerint, cur id in minoribus non procedet, qui sæpè sunt vegetæ ætatis, & iudicii maximè maligni? 14

IV. Text. clarissimus est in l. 36. ff. ad l. jul. de adult. ubi dicitur: *minorem teneri ordinariâ legis julia pœnâ ibi: si minor annis adulterium commiserit, lege julia tenetur quoniam tale Crimen post pubertatem incipit.* Si ergo minor 15

minor tenetur pœnâ ordinariâ legis julïæ, cur idem non dicendum est in aliis delictis, ex generalitate rationis, *quoniam tale crimen post pubertatem incipit.* & ideo cum hanc rationem, seu doli in pubere existentiam, in aliis etiam criminibus, quibus minor tenetur, consideraverit Imperator (*in §. 15. l. de obligat. que ex delict.* ubi habetur: *quia furtum ex affectu furandi consistit, ita demum obligari eo crimine impuberem, si proximus pubertati sit, & ob id intelligat delinquere.* iterum in *l. 22. ff. ad l. Cornel. de fals.* ibi: *impuberem in hoc delictum incidere dicendum non est; quoniam falsi crimine vix posset teneri, cum dolus malus in eam ætatem non cadit.* ergo si dolus in ætatem cadat, quod utique fit in minoribus, ii etiam Crimine falsi tenebuntur, quorum etiam spectant *l. 5. §. etsi infans ff. ad l. aquil. l. 1. §. impuberes Cod. de fals. monet*) utique etiam in illis, sicut in adulterio, pœna ordinaria Minoribus infligi poterit.

16 V. Huc facit *l. 6. Cod. ad l. Cornel. de Sicar.* ubi manifestè deciditur ætatem in hoc crimine non suffragari. verb. *si quis te reum legis Cornelia de Sicariis fecerit, innocentiam purgari crimen, non ætate, convenit.* vid. Gothofred. *in h. l. lit. D.* concordat *l. 7. Cod. de pœn.* ubi impunitatem delicto propter ætatem non dari statuitur. Plures text. accumulat Gothofred. *cit. loc.* & cum eo D. Gletle *jurisprud. terrib. Tom. 1. p. 1. cap. unic. §. 3. n. 28.* sed iis non multum probari putem, cum ab adversariis facilè solvantur, & de totali immunitate interpretentur; præsertim cum leges ipsæ altè sileant, minorem pœnâ ordinariâ plecti debere.

17 VI. Confirmatur hæc sententia ex ipsa Carolina pœnal. *art. 104.* ubi tantum à pœna furti ordinaria excipiuntur impuberes annum ætatis 14. nondum egressi. *So der Dieb / oder Diebin / ihres Alters unter 14. Jahren wãren / die sollen um den Diebstahl auch nit von Leben zum Tod gericht / sondern der obgemelten Leib - Straff gemãß / mit sambt ewiger Wpfsede gestrafft werden.* Ergo illi, (uti à contrario rectè argumentum ducimus) qui egressi sunt ætatem 14. annorum, ordinariæ pœnæ subiacent; cum exceptio firmet regulam in casibus non exceptis. uti ex hoc textu 18 benè argumentatur Blumblach. *ad eund. art. n. 5.* Argumenta ab adversariis allata infirmiora sunt, quam ut speratum effectum evincant; nam ad

19 I. R. allatum text. nihil concludere imò pro me amplissimè facere. Primam enim argumentationem, quòd attinet, quilibet sensum legis considerans deprehendet, tò utique non significare hic idem, seu ac *solum, tantum &c.* ita ut sensus sit, in delictis Minorem non mereri in integrum restitutionem *tantum* atrocioribus; Minimè, sed tò *utique* hic sumitur pro *maximè* uti advertit Carpzov. *q. 143. n. 77.* ut sensus sit: minores in delictis, *maximè* atrocioribus, veniam non mereri, quo ipso leviora delicta includuntur. *Secundam* verò, quòd spectat, R. textum in hoc mihi favere. Si enim *interdum* ad mitiorem pœnam iudex moveatur, manifestè sequitur eum regulariter non moveri; cum etiam in subsequente vers. statim subjungatur: quòd Reus pœnam adulterii (utique ordinariam)

dinariam) sub prætextu minoris ætatis frustra deprecetur quando. Sigitur iudex ætatis miseratione ductus delicto Minoris mitiorem pœnam valet imponere? quod tamen prius negatum fuisse videtur. *x.* cum D. Gletle *cit. loc. n. 29.* & aliis: nunquam id posse iudicem (saltem regulariter & nisi omnino graves circumstantiæ concurrerent) si pœna ordinaria à legibus delicto fuerit præstituta; sed tunc demum, si tale delictum committatur, quod arbitrariâ pœnâ coerceri solet. Ut: si flagitium culpâ magis quam dolo censeatur esse perpetratum: si ex Minoris omnibus actionibus, etiam antecedentibus verè & manifestè appareat, ejus iudicium valde fragile, & infirmum esse, eundemque non iudicis, sed solò annorum numero impuberem ætatem egressum esse &c. cum hæ causæ omnes præbeant iudici ansam, imò & eum compellant, ad mitigandam pœnam ordinariam, eo quòd in iis non adsit verus, & proprius dolus, Iqui tamen ad incurrendam delicti ordinariam pœnam requiritur. Et sic omnes ex nostris sensisse putem DD. qui cum Carpzov. & Blumblach. *cit. loc.* admittunt, aliquando iudici licere, ob minorem ætatem mitius delicto supplicium statuere.

Unde colliges dictæ legis tria esse capita. I. est, quod in delictis non concedatur restitutio in integrum ei qui minor est; rationem ibidem allegat Ictus & cum neque in delictis neque in Calumniatoribus Prætozem juris sit &c. II. & ex primo consequens est, quod etiam in delictis Minorum regulariter habeat locum pœna ordinaria, quod per hoc clarè indicatur: nisi NB. interdum ad pœnam mediocrem miseratione ætatis iudicem moveat, ergo regulariter minorem pœnæ ordinariæ addicet iudex. III. Denique est, quod interdum iudex ætatis misereri possit, in illis nimirum delictis, quibus pœna ordinaria statuta non est. Quæ quidem allata responsio licet in variis iisque celeberrimis Authoribus desideretur, eam tamen juri consonam esse reor; cum ex una parte iudici non liceat, severiorem, aut mitiorem esse lege, ex altera verò parte sat clarè in jure statuatur, in delictis ætatem non præbere subsidium, aut à pœna excusationem.

Ad II. *x.* Ex *cit. l. 16. ff. de pœn.* malè inferri, quod minor ætas regulariter pœnam minuat, cum neque hoc insinuet Ictus, neque id ex ejusdem verbis colligi possit, igitur ibi tantum referuntur circumstantiæ, quæ augent, vel minuunt delictum: & inter has etiam ponitur ætas, quæ aliquando pariter delictum minuit, nimirum, si id magis ex imprudentia, quàm dolo commissum fuisse ostendatur. ita *l. hanc interpretatur Ant. Merend. Controv. jur. l. 5. cap. 15. n. 12. x. 2.* ut textus textibus concordent legem hanc commodè explicationem admittere, de ætate impuberum non Minorum; cum quo ad minores aperti text. repugnent in *l. 1. §. 2. Cod. si advers. delict. l. 6. Cod. ad L. Cornel. de fals. l. 9. §. 2. ff. de minorib.* ita D. Gletle *cit. loc. n. 29.*

Ad III. Respondent aliqui ex nostris: textum hunc ideo ad rem non facere, eo quòd in jure pœnalia iudicia eo sensu non accipiantur, quòd communiter à DD. sumi soleant iudicia criminalia, in quibus de vindicta publica agitur; cum hæc iudicia in LL. non appellentur pœnalia, sed publica; ut constat

stat ex tit. ff. § I. de public. jud. sed per pœnalia judicia ea solummodò denotentur, in quibus actor contra reum instituit actionem pœnæ persecutoriam, quæ pœnalis nominatur actio in §. sequens divisio, & seqq. I. de act. præsertim cum, & aliunde constet, legislatores inter judicia pœnalia, & criminalia five ea, quæ super crimine pro vindicta publica instituuntur, differentiam fecisse in l. 10. §. 2. & 3. ff. de minorib. ubi distinguitur inter iudicium pœnale, de quo §. 2. & criminale de quo §. 3. tractatur.

23 Et quamvis hanc textûs interpretationem ad salvandam meam sententiam necessariò assumendam esse, existinet Merend. cit. loc. n. 13. eo quòd aliàs hæc juris regula à diametro adversaretur LL. supra adductis, in quibus expressè dicitur: *Minori non subveniri propter ætatem.* Eam tamen licet non sit rejicienda, necessariam minimè esse putem, imò & facilè eludendam, cum etiam gravissimi interpretes, subtilem hancce inter judicia pœnalia, & criminalia differentiam in similibus materiis assignare non soleant, sed ea confundere, & unum sæpissimè pro altero ponere videantur. Atque aliàs si in criminalibus extensionem fieri negemus, communis etiam hæc adfertur probatio: quòd in pœnibus non fiat extensio; imò planè iudico, non esse tantam inter iudicium pœnale & criminale differentiam, uti sibi blanditur Merenda, sed ad summum dici posse, hæc duo judicia differre in hoc, quòd unum latius pateat altero; non autem, quòd unum excludat alterum, cum consideranti pateat omne iudicium criminale pœnale esse, non vicissim.

24 Igitur & illam juris regulam intelligendam esse, de ætate impuberum, & eorum, quorum in pœnis infligendis rationem habendam esse jura volunt. Nec hæc responsio temeraria est, sed ex ipso text. colligitur, cum in illo ætati adjiciatur imprudentia, ibi: *ætati, & imprudentia succurritur,* liquidum autem est, ætatem impuberum solummodò strictè imprudentem esse, & non Minorum, quippe qui velocissimi sæpius & astutissimi plerumque sunt ingenii. addita lex vix metetur responsionem cum ibi in terminis tantum de ætate impuberum sermo sit.

25 Ad IV. & ingentem inter contractus, & delicta, quo ad Minorum restitutionem esse differentiam. Minorem enim in contractibus restitutione gaudere jure statuitur, & ediametro in delictis non subveniri eidem, pariter decernitur. in l. 1. & 2. Cod. si advers. delict. cum infirmitas animi pravos mores non excuset, & hoc rectè; eo quòd ad delictum nihil amplius requiratur, quàm dolus, & propositum delinquendi: unde etiam ruit fundamentum, quòd adducit Berlich, p. 5. conclus. 44. n. 39. scil. quòd ubi minor dolus sit, etiam delictum mitius sit puniendum, & injustum sit, ut Major & Minor eadem pœnâ cœrceantur, cum tamen in hoc non tantus reperiatur dolus, ac in altero; Prætermisso enim, quòd optimè negari valet, in majore majorem etiam dolum regulariter reperiri, quàm in Minore de quo vid. Blumbach. ad cit. art. 164. n. 5. tamen nihil infertur: negatur enim, eum, in quo minor dolus reperitur, deberi etiam ob delictum minori pœnâ affici, eo quòd sufficiat talem adesse dolum, qualis ad formalem delicti malitiam, & ad se adstringendum diabolo, uti loquuntur. TT. & CC. ad tit. de accusat. & tit. de delict. puer, requi-

requiritur. & certè si in uno æquè tantus, ac in altero ad eandem pœnam incurrendam dolus requireretur, & ob defectum minoris vel præsentiam majoris doli, pœnæ semper mitigandæ, aut asperandæ forent; nimii per hoc, in demetiendo delinquentis dolo, scrupuli Judici accrescerent, atque sequeretur, etiam homines rudes mitiori pœnâ plectendos esse, quàm Nobiles, & Literatos; cum in illos tanta, quanta in hosce, malitia non cadat; quod tamen nemo literatorum facilè dixerit,

Ad V. R. hoc ipsum, quod ab adversariis supponitur, in maxima ad- 26
huc esse quæstione, & prætermisissis variorum sententiis, ut doctrinæ superius traditæ conformiter loquar.

Dico: Senum delicta simili modo punienda esse, ac minorum, & hinc se- 27
quentes assigno Regulas. I. Est, quod senes regulariter à pœna ordinaria non sint immunes. *prob. inde* quod neminem legis voluntate oporteat eximere, si id ejusdem Authoritate non permittatur. *l. 15. Cod. de repud. c. 18. in f. de sent. excom.* nullibi autem reperitur, senibus regulariter mitiorem ordinariâ pœnam distandam esse; ergo nec nobis illum ordinario supplicio licebit absolvere. id enim quod lex cantat, & nos cantare fas est, uti Bald. loquitur apud Roland. à Valle *conf. 51. p. 5.* præsertim cum experientia testetur, senes etiam 80. 90. annorum adhuc esse valde robustos, perspicaces, & ad dignoscendam hominis 28
malitiam validissimos; & hinc non mireris velim, si apud Criminalistas, uti Carpzov. *p. 3. q. 44. n. 21. & seqq.* Jul. Clar. Farinac. & alios, invenias: etiam de sexagenariis, septuagenariis imò, & nonagenariis ordinariam (etiam in Carnalibus delictis) pœnam sumptam fuisse. imò cit. Jul. Clar. *in pr. crim. §. ult. n. 6. vers. successivè quero*, asserit, se nunquam in praxi vidisse, quod senibus pœna fuerit mitigata, præterquam in levioribus delictis: Gomez. *tom. 3. cap. 1. n. 68.* qui hanc in rem scitè adfert tritum illud adagium.

Peccantem juvenem corrige, pende senem

Item castiga juvenem ferulâ, furcâ senem.

Imò non desunt AA. qui cum Odd. *tr. de restit. in integr. p. 2. q. 80. n. 116.* velint senes acerbius, & asperius (regulariter saltem) aliis puniendos esse; quippe qui plus cognoscentes minus delinquere debuissent.

II. Quòd si delictum arbitrariâ pœnâ, imò, & ordinariâ à lege statutâ, 29
mortis tamen supplicium non inferente, Cœrceri deberet, senes mitius puniendi sint juvenibus, quia saltem aliqua pro illis militat debilioris judicii præsumptio, & hinc ibi meritò canæ ætatis quædam indulgentia, sine justitiæ læsione, haberi potest. Gomez. *ibid.*

III. Quòd si reperiretur in senibus ob ingravescentem indies magis ætatem, sensuum etiam aciem notabili ex parte ingravescere, & diminutam esse, intellectum hebetatum, & altâ temporum fuligine obductum esse, aded, ut vix verus, & genuinus dolus in eum cadere valeat, ordinaria utique pœna iis infligi non possit, cum essentielle ordinariæ pœnæ requisitum, veri nimirum doli capacitatem, non habeant. uti de Minoribus discurre.

Textus allati variam recipiunt interpretationē. Aliquī enim asserunt eos in 30
praxi

praxi non servari iisdemque tam per consuetudinem, quam per Carolinam (quæ à pœna Ordinaria impuberes solum excipit) derogatum esse.

Alii eos restringunt ad casus, quibus propter senectutem, & sanguinis diminutionem senum etiam intellectus iudiciûmque diminuta sunt, adeo, ut repuerascere incipiant, cum Tiraquel *de pœn. temperand. caus. 8. n. 4.* quam interpretationem receptiorem esse ait Carpzov. *cit. q. 144. n. 18.* eo quod illa non incongruè colligatur ex ipsissimis textûs verbis in *cit. l. 7. §. 3. ff. de SC. Silan. ibi: qui atate defecti sunt.* Alii rursus cum Gomez. *cit. loc.* dicunt neque senem ordinariâ pœnâ (nisi mortis foret supplicium) puniri posse, si prævideatur eum ex hac moriturum esse, quæ responsio non obscure iuvatus per verb. *cit. l. 2. ff. de term. ibi, ut cuiusque patiatur etas*

Ergo relicta suâ cuilibet harum probabilitate, ut cum doctrina de Minoribus tradita, connexè loquar, *cit. textus* interpretor de illis delictis, quibus non pœna ordinaria, sed tantum arbitraria, arbitrio iudicis statnenda, imposita est, pro ut etiam *cit. jura* non dissentiunt, cum nunquam in iis de ordinaria pœna, & mortis supplicio sermo fuerit.

31. Et hucusque propugnatam à me sententiam assensu suo dignantur summæ, & aureæ classis DD. cum Bald. *in l. 1. Cod. si advers. delict. n. 1.* Menoch. *de arbit. jud. l. 7. casu 239. n. 3.* Matth. Coler. *p. 1. decis. 162. n. 8.* Carpzov. *prax. Crim. p. 3. q. 143. a. n. 64. usque ad fin.* quem sequitur Christoph. Blumbach. *ad art. 164. n. 5.* Merenda *cit. cap. per tot.* & alii ab his laudati; Canonistas non adduco, quorum integra phalanx videatur apud Clariss. P.

Schmalzgr. *tit. de delict. puer. n. 12.* Reiffenstuel *eod. n. 5.* Pirinigl. *n. 4.* König *n. 4.*

O. A. M. D. G.



PAR-



PARERGA

EX
OMNI JURE SELECTA.

EX JURE PUBLICO.

Ad Auream Bullam.

Princip. vers. per quos velut septem candelabra.

I. IN ardua illa Quæstione: utrum duo Electoratus ab uno eodémque Electore prætendi & possideri valeant, judicium meum, nimis exiguum, libenter suspendo cum Herman. Hermes *fascic. jur. publ. cap. 18. q. 18. n. 26.* Schüz *Disp. 7. de divis. stat. Th. 15. litt. D.*

Cap. 1. §. præterea 18.

2. Sede Moguntinâ vacante, Cathedrali Capitulo jus convocandi Electores aut aliàs prærogativâ Moguntino præ aliis præcipuâ, non competunt: contra varios in spec. Conring. *ad Lampadium p. 3. c. 2. n. 21.*

Eod. cap. §. cum autem 21.

3. Verbis aureæ Bullæ in cit. *superius* Loc. accuratiùs trutinatis, probabilem cenfeo sententiam; quæ sustinet, validam esse Imperatoris Electionem à majore Electorum parte factam, licet unus vel alter ad eam vocatus non fuerit; quamvis tamen contrariam inspecto jure probabiliorem esse non diffitear cum Clariss. P. Pichler *ad Tit. de Elect. & Electi pot. §. 2. n. 10.* Besold. *de Monarch. Rom. n. 43.* Aramn. *ad A. B. Disc. 1. n. 25.*

Cap. 2. §. postquam. 1.

4. In Imperatorem Romanum necessariò eligendus venit Germanus uti probant Schüz *Exercit. 2. §. 9. lit. C. pag. in 93.* Rhetius *Inst. J. P. lib. 1. tit. 4. §. 31. & c.*

Cap. 5. §. quoties insuper 1.

5. Vicarios Imperii vacante Imperatoriò soliò in causis feudalibus, etiam Regalium, judicare posse rectius defenditur contra Stryck. *Exam. J. F. cap. 25. §. 5.* Struv. *syntagm. J. F. c. 5. n. 2. & 4.* Vitriar. *Inst. J. P. lib. 3. tit. 7. §. 2.*

Q 3

Cap.

Cap. 7. §. & talis successio 4.

6. Postquam Fridericus IV. Elector Palatinus, sub initium sæculi 16. Tutelam Electoralem testamento detulerat Joanni Bipontino, excluso Philippo Ludovico Palatino Neoburgensi; Quæstio exarsit & adhuc hodie indecisa mansit: an post A. B. adducto loc. id potuerit Fridericus, excluso Philippo, proximo quippe Agnato. Negativam editis Tractatibus defenderunt Zeschlin & Fridenreich, Palatini Neoburgensis Consilarii & cum iis Lymnæus *lib. 1. jur. publ. c. 11. n. 103.* Lampad. Myler, Wurmbser &c. affirmativa mihi videtur verior.

Cap. 12. §. hinc est. 2.

7. Probabile videtur auream Bullam tantum suffragiis Electorum conditam fuisse, nec postulata esse vota Principum & Imperii Statuum.

Cap. 24. §. postquam. 1.

8. Pœnas à jure in perduellium & læsæ Majestatis Reorum filios statutas, non incurrunt Nepotes. contra Covarruv. *var. resolut. c. 8. n. 2.* nec liberi naturales. contra Perezium in *Cod. Tit. ad Jul. Majest. n. 21.* Eckold *ff. eod. §. 12.*

Ad Instrumentum Pacis Osnaburg.

Art. 4. §. & primò 3.

9. In Quæstione quisnam ex Electoribus Palatino & Bavaro, sit legitimus Vicarius? ab utraque parte non levia pugnant fundamenta.

Art. eod. §. quia verò 57.

10. In Controversia successionis Juliæncis potiùs causæ merita ex parte Sereniss. Elect. Palatini pugnare, existimo.

Art. 5. §. postulati 17.

11. Omni jure cautum est, Patricios, Nobiles & alios Gradibus Academicis insignitos excludi nullatenus deberi, nec posse, à Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium; quin tamen statutis à Romana sede confirmatis aut præscriptione immemoriali iidem excludi, & solùm illi, qui avitâ nobilitate fulgent, admitti valeant, nullus dubito. Dissentient. Wagnereck in *cap. Venerabilis 37. §. & quibus de Prabend. & Dignitat.*

Art. eod. §. ubi Sacra 18.

12. Jus primariarum precum, quod competit neo-electo Rom Imperatori an ortum suum trahat ex indulto, gratia, & concessione sedis Apostolicæ, utrum vero ex jure proprio Imperatoris? controversia est sanè difficillima. prius affirmant communius Catholici DD. saltem Clerici. vid Personatus Author Oligenius. in *Dissert. de primariis precibus, edita Friburgi Brisgoia anno 1707.*

Art. 5. §. utriusque 50.

13. Qui transactionem Passaviensem: Pacem Religiosam & profanam: Instrumentam Pacis Osnaburgens. & Monasteriensis &c. impugnant, ea & illicita & invalida fuisse sustinentes: non minus contra prohibitionem juris in *cit. superius §.* agunt, quàm contra veritatis rationem nituntur. Inter quos est Ernestus de Eusebius in *judicio Theologico super pace religiosa.*

Art.

Art. 3. §. gaudeant 2.

14. Potestas condendi interpretandi & mutandi Leges universales pro toto Imperio adhuc hodie residet penes Imperatorem, quid quid reclament Lymnaeus in *annot. ad art. 2. Capit. Carol. V. & Hippol. à Lapide, in dissertat. de rat. statûs p. 1. c. 6.*

Eod. Art. §. 3.

15. Qui sustinent Imperium Romanum non esse simpliciter Monarchicum (uti communis tenet Heterodoxa Schola) non videntur sufficienter distinguere, inter Imperii naturam & inter accidentalem ejus administrationem sive inter actum primum & secundum. uti bene advertit Prænob. & Magnif. D. H. A. de Chlingensp. in *Q. Q. select. de anno 1711. q. 2. p. 9.*

Eod. Art. §. babeantur. 3.

17. In formanda Capitulatione ordinaria Neo-Electo Romanorum Regi proponenda tantum requiritur consensus Electorum. contra Textor *de ratione stat. Germ. c. 18. not. ad Monzamb. p. 371. Instru. pac. Osnabr. cit. art. §. 5.*

Ad Capitulationem Josephi I. gloriosiss. mem. Romanorum Imperat. Augustissimi.

Pr. sub. fin.

18. Capitulatio non derogat supremæ Majestati contra plurimos, quos sequitur Burgold. *p. 3. Dis. 5. n. ult. Rachel. introduct. ad J. P. cap. 9.*

Art. 1. sub. pr.

19. In Imperatorem Romanum eligi debet Romano-Catholicus, licet contrarium fusè evincere studeant Carpz. *Disp. feud. secund. q. 2. ad A. B. Scharf Schmid. ad Schüzium in Colleg. publ. Exercit. 2. Th. 9. lit. K. Vitriar. Inst. Jur. Publ. lib. 1. Tit. 5. n. 4. Pfeffinger. in not. ibid. lit. A.*

Art. 5.

20. In Quæstione: utrum Legatus fortiatur forum in loco delicti? negativa melior est, si contra officium hominis, affirmativa verò, si contra officium legati deliquerit. Dissent. *Hug. Grotius lib. 2. de J. B. & P. cap. 18. n. 4. indistinctè Legatis fori exemptionem tribuens,*

Art. 13.

21. Capitulatione non stringitur Imperator si adsit urgens necessitas, contra Hermet. *fascicul. jur. publ. c. 9. q. 7. n. 10. per tot. bene tamen, licet adsit ingens & communis utilitas uti fusè probat D. à Wolleren Q. Q. select. in fol. q. 2. à n. 68. ad n. 144. inclus.*

Art. 29.

22. Quamvis etiam varii reperiantur DD. Catholici: qui donationem Constantinianam, aut nunquam factam fuisse, aut aliàs irritam esse sustineant. (Vid Amelot. *de la Houssaie dans les reflex. politiques sur Tacitel. 3. §. 64. n. 1.*) eamque tantum rudioribus annis defensam fuisse, non sine temeritatis nota, asseratur à Vitriario *Inst. J. P. lib. 2. Tit. 4. §. 4. solidis tamen fundamentis & factam*

Etiam & validam illam fuisse evincitur ab Emin. Card. Bellarm. *l. 5. de Rom. Pontif. c. 9.*

EX JURE ECCLESIASTICO. Ex Sacra Scriptura.

Gen. 20. & 2. Reg. 13.

23. Matrimonium in primo gradu lineæ transversæ non esse invalidum jure naturæ, evincere conantur varii cum S. Thoma 2. 2. *Q. 154. a. n. 9.* Pontio *l. 1. c. 32. n. 3.* P. Wiestner ad *Tit. de Consanguin. n. 28.* mihi & hæc & altera sententia probabilis videtur. unde problema maneat.

Levit. 20. & Deuter. 27.

24. Uti & problematica sit opinio: an matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ sit jure naturali irritum? negativam tamen statuunt cum comm. Clericat. *decis. 31.* Gonzalez in *c. 1. de consanguinit. M. P. Franc. Schmier Jurispr. Can. Civ. Tom. 3. Tr. de spons. & Matrim. p. 3. c. 3. sect. 2. §. 4. n. 161.*

Levit. 25. Vers. 36.

25. Licet in sacra scriptura improbetur usura merè lucratoria; quin tamen ea per consuetudinem aut per statutum licita reddi possit, non video. Quidquid cum communiore contra afferant P. Wiestner ad *Tit. Decretal. de usus n. 37.* Schambog. *n. 24. König. n. 6.*

Matt. 16. v. 18. & Johan. 21. v. 15. 16. & seqq.

26. S. Pontifex est verus Princeps & supremus Monarcha Hierarchiæ Christianæ & generali Concilio superior, uti contra plurimos etiam Catholicos DD. fusè & solidis fundamentis evincit personatus Author, Engenius Lombardus (Sfondrati Professor Salisburgensis, postea S. R. E. Cardinalis) in *Regali Sacerdotio lib. 2. per tot.*

Ibid.

27. Ad infallibilitatem Pontificiæ decisionis non requiritur, ut eidem, saltem extra Concilium generale Ecclesiæ consensus accedat; contra Conventum Parisiensem in *proposit. 4.* & varios alios quos refutat Reverendiss. P. Thyrs. Gonzal. *p. 1. adversus Mahomet. l. 3. c. 6. §. 11.*

Matth. 19. v. 6.

28. S. Pontifex fulget potestate dispensandi in Matrimonio tantum rato, contra plures, quos sequitur. P. Reiffenst. ad *Tit. de divort. n. 3.*

1. ad Corinth. 7.

29. Potest Matrimonium contrahi sub conditione: si mecum in perpetua castitate vixeris &c. contra Sanchez *de Matr. l. 5. Disp. 10. n. 2.* P. Wiestner ad *Tit. de Cond. app. n. 72.* Engel. *ibid. n. 10.*

Ad Decretum Gratiani.

Can. 1. Dist. 22.

30. Episcoporum Ecclesiastica jurisdictio, quò ad substantiam ex divina institu-

instituzione oritur, quò ad modum verò & ordinem institutionis à Romano Pontifice contrà Valquez. *Tr. 2. Disp. 152. c. 3.* Gonzalez. *ad c. 1. de offic. Jud. ordin.*

Can. 3. §. leges Dist. 4.

31. Legis Ecclesiasticæ vis ac substantia per se & per modum conditionis intrinsecæ non pendet à populi acceptatione. contra Navarr. *Man. c. 23. n. 41. & Conf. 1. de Constit. q. 5.*

Can. 6. & Can. 8. Dist. 50.

32. Probabile est incurri irregularitatem ab eo, qui occidit quempiam alterius vitæ iniquum aggressorem, licet ad hoc teneatur ex justitia. contra Covarruv. *ad Clem. si furios. de Homicid. p. 3. D. un. n. 1. & 5. Molin. de J. & J. tr. 2. D. 109. Concl. 3.*

Can. 10. caus. 9. q. 3.

33. Non licet appellare à S. Pontifice ad futurum generale Concilium; uti tenuit sanior hucusque Doctrina.

Can. 20. caus. 32. q. 5.

34. Casu quo utraque pars post inita sponsalia fornicatur, sponsus ab iis potest recedere, non tamen sponsa; Dissent. Clariff. P. Schmalzgrub. *ad Tit. de spons. n. 167.* qui nullam partem, & M. P. Franc. Schmier. *cit. Tr. de sponsal. p. 1. c. 5. select. 12. §. 3. n. 115.* qui utramque resilire posse existimat.

Can. 23. de Consecrat. dist. 1.

35. Ecclesia cujus parietes successivè omnes destruuntur, non indiget novâ consecratione. contra Innocent. *in rubr. de Consecrat. Eccl. n. 1.*

Can. 34. q. 1.

36. Ad secunda Vota transitus conjugii permissus non est, nisi iste de alterius conjugis obitu moraliter sit certus. ut habet Commun. cum Panormit. *in cap. quoniam. §. porro. ut lite non constet. n. 12.* contra paucos

Can. 47. caus. 16. q. 1.

37. Decimæ, ut decimæ non debentur ex jure naturali aut divino. contra antiquos, ut Abbat. *in c. 37. de decim. n. 95.* quos sequitur. P. Reiffenst. *cod. tit. n. 13.*

Ad Decretales Gregorii.

Cap. fin. de Consuetud.

38. Hæreticos defacto adhuc ligari impedimentis Matrimonii ab Ecclesia introductis, communiùs statuunt DD. cum P. Busebaum in *Medullb. Theol. l. 6. tr. 6. c. 3. dub. 1. in f.* M. P. Franc. Schmier *cit. tr. de spons. p. 3. c. 1. n. 24.* mihi contraria magis arridet.

C. 3. & 57. de Elect.

39. S. R. E. Cardinalis Presbyter in Episcopum eligi potest, nec requiritur ut postuletur, saltem solemniter. contra Hier. Gonzal. *in reg. 8. Concall. Glossem. 44. n. 123.* Wagnereck *in c. 3. de Elect. Fagnan. ibid. n. 16. & 73.*

C. 11. de at. & qual. ord.

40. Prima Tonsura est ordo specialiter distinctus à reliquis. contra TT. passim. P. Sporer *Th. Sacram. p. 1. c. 5. n. 6.* quibus ex CC. accedit cum paucis aliis R. P. Schmalzgr. *ad Tit. de Temp. Ordin. n. 3.*

C. 1. de Sacram. non iterand.

41. In susceptione SS. Ordinum requiri physicum contactum materiæ v. g. Calicis &c. communior est sententia, contra P. Laym. *Th. mor. l. 5. Tr. 9. c. 5. n. 4.* P. Engel. *ad Tit. de Temp. ordin. n. 10.* P. Gobath. *Th. experim. Tr. 8. n. 57.* mihi problema esto.

C. 1. de pact.

42. Non satis accuratè tradunt Covarruv. *in cap. quamvis de pact.* P. Pirringh. *ad Tit. de pact. §. 5. n. 36.* de jure Canonico ex pacto nudo dari actionem.

Cap. 5. de arbitr.

43. Non incongruè defenditur Religiosos exemptos & Rom. sedi immediatè subiectos posse se subicere jurisdictioni Ordinarii in causis voluntariæ jurisdictionis: contra Rodriq. *Tom. 1. regular. q. 36. art. 5.* Suarez *l. 6. de vot. n. 11.*

C. 10. de Jud.

44. Clericus ob crimen etiam enorme regulariter degradari nequit, nisi sit incorrigibilis. contra Andr. Tiraq. *de pæn. temper. e. 49. n. 36. & 37.*

C. 12. de for. comp.

45. In puncto juris veriore existitimo sententiam: quæ negat, Clericos actione reali in Judicio sæculari conveniri posse. licet Legistæ plurimi dissentiant cum Mynsing. *cent. 1. obs. 22. n. 2. & 4. & cent. 4. obs. 95.* Gail. *l. 1. obs. 37. n. 4. Eodem.*

46. An verò in judicio sæculari, etiam inspecto jure, reconveniri possint: disputationis gratiâ problema sit. contra Laym. *in c. 1. de mut. petit. in 6.* Pirring. *cod. Tit. §. 3. n. 9.*

Eodem.

47. An Clericus officio sæculari v. g. Legati vel Cancellarii fungens & in eo delinquens, subjaceat jurisdictioni Principis sui? Quæstio est maturâ consideratione dignissima. affirmant Cævall. *Tr. de cognit. per vim violent. p. 2. q. 65. n. 14.* Suarez *de Imm. Eccl. l. 4. c. 34. n. 62.* negat cum plurimis Diana *p. 1. tr. 2. resol. 19. & p. 4. tr. 1. resol. 39.* cui exercitii gratiâ adstipulor.

C. 24. de Jurejus.

48. Casu quo, post sponsalia contracta, sponsæ Mater ob neglectum consensum, tantum legitimam v. g. mille flor. filiæ à se relinquendam fore minatur: quæ aliàs sex milla accepisset; & hinc notabilis superveniat mutatio; sponso quidem datur facultas resiliendi, non autem sponsæ, nec generaliter parti mutationem subeunti. contra plurimos. vid. P. Reiffenst. *ad Tit. de sponsal. à. n. 270. ad n. 294.*

C. 4. § 14. de præscript.

49. Sufficienti videtur carere fundamento sententia, affirmans: res mobiles Ecclesiarum etiam gaudere privilegio quadragenariæ aut centenariæ præscriptionis

scriptionis, quam defendit P. Haunold. *de J. & J. Tom. 1. tr. 5. n. 27.* & fuisse tuetur M. P. Franc. Schmier. *jurispr. l. 1. tr. 2. c. 5. sect. 4. §. 8. n. 609. & ad n. 566. ad n. 584.*

C. 13. de sent. & rejud.

50. Beneficium rei judicatae etiam locum habet in foro conscientiae contra varios, quos refutant Clariff. PP. Wiestn. *ad Tit. de sent. & re jud. à n. 19.* Schmalzgr. *ibid. n. 7.*

C. 33. de Decim.

51. Successor particularis v. g. emptor praedii non tenetur ad decimas ab Antecessore non solutas. contra Rebuff. *tr. de decim. n. 20.* P. Engel. *ad Tit. de Decim. §. 1. n. 16. & seqq.*

C. 14. de convers. conjug.

52. Copula etiam vi vel metu ex torta non obstare ingressui religionis aliàs permissio matrimonio rato tantum, tradunt Fagn. Sanchez. Pirringh. citati à Clariff. & Colendiff. P. Pichler. *ad Tit. de Conv. conjug. n. 2.* contra tamen non videtur esse improbabilis.

C. 19. de Jur. Patron.

53. à Patrono possessore ad beneficium pendente lite praesentatus, valide ab Ordinario instituitur. contra Barbosam *in Collect. ad c. 7. de jur. patr. Zoes ad eund. Tit. n. 43.*

C. 3. de sponsal.

54. Malitia aetatem supplente ante septennium adhuc, sponsalia contrahi posse cum plurimis aliis sustinent Clariff. PP. Wiestner *ad Tit. de despons. impub. n. 14.* Wex. *tr. de sponsal. p. 1. §. 3. n. 18.* contrarium mihi probatur.

C. 5. qui Clerici vel vov.

55. Sponsalia ob antecedens votum castitatis inita, per deflorationem sponsae non convalescunt. contra Sanchez *de Matrim. l. 1. D. 45. n. 2. in f.* P. Kugler *de spons. p. 3. n. 50.*

C. 53. §. verum de appell.

56. Beneficiatus excommunicationem incurrens non privatur fructibus beneficii ipso jure. contra Gutierrez. *22. Can. l. 1. cap. 1. n. 70.* Garc. *de benef. p. 7. c. 13. n. 90.*

C. 8. de sim.

57. In consecutione beneficiorum Ecclesiasticorum vitari Simoniam juris divini & naturalis, si temporale detur pro illo, quatenus jus est percipiendi fructus temporales: existimant, Felinus. Garc. *de benef. p. 1. c. 7. n. 9.* Less. *de J. & J. l. 7. c. 35. n. 26.* Zoes *ad Tit. de sim. n. 47.* sed praeposterè.

C. 14. eod.

58. Fidei promittentem temporale pro spirituali committere simoniam, si per hoc consequatur beneficium, juri conformius esse arbitratur Clariff. P. Friderich. *tr. de Sim. c. 2. n. 24.* mihi contrarium ex ipsa Simoniae definitione & aliis rationibus videtur etiam defendi posse. Et hinc problema sit

C. 30. eod.

59. Sicut & speculativè probabile esse judico, solum etiam pactum de
gratitu.

gratitudine antidorali aliunde jam ex jure naturæ debita, esse simoniacum vel faltem ordinariè Simonix proximum. contra P. Carden. *in Cris. Theolog. D. 27. n. 65.* Reiffenst. ad *Tit. de sim. n. 114.* Clariff. P. Friderich. *Tr. de sim. c. 2. n. 36.*

C. 14. de Sent. excomm.

60. In puncto juris verius est: licere hodie pro excommunicato tolerato v. g. hæretico publicè orare & sacrificare. Contrarium propugnante Bellarm. *l. 2. de Miss. c. 6.* Suarez. *D. 9. sctt. 2. n. 16.*

C. 38. eod.

61. Licet per pœnitentiam & Contritionem Excommunicatus suam purget contumaciam, non tamen ante absolutionem ab hac censura factam, gaudet Ecclesiæ suffragiis & hinc, ubi moreretur, sepeliri debitis cum ceremoniis non poterit, etiam si per eum non stetisset, quò minùs absolveretur. contra Navar. *Man. c. 21. n. 18.* Avil. *p. 2. c. 6. D. 4. dub. 2.*

Ad Lib. 6. Decretalium Bonifacii VIII.

C. fin. de Constit.

62. Censuræ ab ipso jure latæ, non incurruntur probabiliter ab iis, qui ignorant illas delictis suis fuisse annexas. contra Ugolin. *de Censuris dub. 1. §. 8. n. 10.*

C. 43. §. sanè de Elect.

63. in Electione Episcoporum Abbatum & Prælatorum locum non habet votorum accessus, licet minor pars accedat majori. contra P. Pirrhing. *ad Tit. de Elect. n. 40.* Engel. *n. 40.* Laym. *22. Can. de Elect. q. 27.* Fagn. *in cap. publicato de Elect. n. 37.*

C. 1. de supplend. neglig. Præl.

64. Videtur probabilior sententia asserens: negligentiam Episcopi circa administrationem justitiæ non posse suppleri ab Archi-Episcopo, & sic ei hoc in casu non competere facultatem, jus dicendi in subditos Suffraganei sui, extra casum appellationis; à qua tamen cum variis divortium faciunt P. Engel. *ad cit. in pr. Tit. n. 5. König. n. 11.*

C. 2. de offic. Vicarii

65. Vicarius generalis habet ordinariam jurisdictionem concurrentem cum jurisdictione Episcopi. contra Alciat. Gomez & alios, quos refert Barbos. *de offic. & potest. Episc. alleg. 54. n. 30.*

C. 2. de rest. spol.

66. Si Parochus Possessori Decimarum intra suam Parochiam existentium viâ facti decimas rapuerit, an spoliatus contra Parochum restituendus sit? nobilissima est controversia. negant id Canif. *Tr. de Decim. c. 16. n. 6.* Covarruv. *var. resolut. l. 1. c. 17. n. 6.* eoque Parocho specialiter jus assistat. mihi tamen affirmativa præplacet.

C. un. de Cler. Conjug.

67. Clerici conjugati non gaudent privilegio fori in Civilibus; sed tantum in

eriminalibus. contrà Marth. *tr. de jurisd. p. 4. cas. 153.* P. Engel. *Tit. de Cleric. conjug. n. 7.* M. P. Franc. Schmier *tr. de Jud. c. 3. n. 4.*

C. 1. de concess. prab.

68. Precista non tenetur primum vacans beneficium statim acceptare, sed potest jus suum in secundum, tertium, vel ultrà, casum differre.

C. detestanda eod.

69. Coadjutoria cum jure successione à quocunque concessa, Juri communi *de Decim.* non malè adversari dicuntur à Petr. Greg. Tholos. *de Benef. c. 30. n. 2.* contra Pateum *decis. 226. n. 2.*

C. 2. §. Diacesani.

70. Decimalium causarum cognitio in petitorio propria Ecclesiastico, in possessorio verò non rarò ipsi & sæculari Judici est communis contra P. Ægyd. Ranbeck. *Panopl. D. 2. cap. 7. Coroll. 13.*

C. un. de sponsal.

71. Sponsa prior de futuro, posteriori de futuro, ne quidem tunc tenetur cedere, casu quo hæc spe matrimonii imprægnata esset, & damnum aliunde quàm per matrimonium, non foret reparabile. Diff. Clariss. P. Schmalzgr. *ad Tit. de spos. n. 56.*

C. 6. de sent. excomm.

72. Vix probari per rationem (abstrahendo à propositione damnata ab Alexandr. VII.) potest, fas esse cuilibet, calumniatorem aut falsum testem è medio tollere, nè injustè noceat in vita aut bonis magni momenti. contra Sanchez *l. 2. moral. c. 39. n. 4.* Navarr. *de restit. l. 2. c. 3. n. 359. & 376.*

Reg. 1. de reg. Jur.

73. Resignatio Beneficii, facta ab eo, qui per delictum illius privationem ipso jure incurrit, invalida omnino est, etsi sententia declaratoria desuper nondum lata fuerit. contra Less. *de J. & J. l. 7. c. 35. n. 29.* Sanchez. *l. 2. moral. c. 26. n. 9.*

Ad Constitutiones Clementis V.

C. un. de Imm. Eccl.

74. S. Pontifex potest dispensare in radice matrimonii, etiam quò ad effectus civiles. contrà Molin. *de J. & J. tr. 3. D. 624. n. 3. & seqq.* Perez. *de Matrim. D. 44. sect. 5.*

C. 1. de sim.

75. Monasteria Virorum aut Monialium nequeunt ab ingressuris temporale aliquid petere, etiam nudo Titulo sustentationis; contra Suarez. *de Censur. D. 22. sect. 5. n. 13.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 39.* Wiestn. *ad Tit. de sim. n. 48.*

C. un. de Homicid.

76. Irregularitatem ab eo contrahi probabilius videtur, qui ob conservationem bonorum temporalium licet magni momenti, alium occidit, Diff. P. Pirrhing. *ad Tit. de Homicid. n. 82.* M. P. Franc. Schmier. *Jurispr. Tom. 1. tr. 4. c. 6. sect. 4. §. 2. n. 314.*

Eodem.

77. Uti & ab occidente inuasorem, quem fugiendo declinare potest, et sine dedecore fugere non valeat. contra Gasp. Hurtado *de Irreg. D. 2. n. 47.*

Ad Extravagantes Communes.

C. 1. & 2. de Empt. & vend.

78. Census realis, sive pecuniarius sive fructuarius, sive redimibilis sive irredimibilis. non est affectus labe usurariâ, contra Hotomann. *l. 1. obs. c. 15. Salicet. in auth. ea lege Cod. de usur.*

C. Ambitiosa de reb. Eccles. non alien.

79. Legatum monasterio vel Ecclesiâ relictum, sine solemnitatibus aliâs requisitis à Prælato repudiari non posse, probabilius affirmat Vasquez. *de success. Tom. 1. §. 27. n. 23. M. P. Franc. Schmier. cit. Jurispr. tr. de person. reb. & Jurib. Eccl. c. 4. n. 60. Exercitii tamen gratiâ utrâque sententiam defendo*

C. 2. de sim.

80. Probabile est pœnas simoniæ etiam incurri tunc, quando spirituale solum traditum est, pretium vero promissum. Contra Garc. de Benefic. *p. 8. c. 1. n. 19. Reiffenst. ad Tit. de sim. n. 239. Clariff. P. Schmalzgr. eod. n. 248.*

Ad Concilium Tridentinum.

Sess. 6. c. 1. & Sess. 23. c. 1. de reform.

81. Obligationem, quam habent Episcopi & Clerici, residendi in beneficiis curatis, oriri ex jure divino, Communis est sententia TT. & CC. ego consideratis paululum *Trid.* locis à sententia hac adductis, contrarium disputationis gratiâ teneo. cum Clariff. P. Weiss. *Diff. int. Trid. & Jus. Can. l. 3. Tit. 4. ass. 31.*

Sess. 7. c. 3. de reform.

82. Sicut nec ex Tridentino convincenter satis probari videtur, ad beneficium curatum (extra concursum) præsentari debere digniorem, nec sufficere, si præsentetur absolutè dignus neglecto digniore. contra Communiorem.

Sess. 23. de Sacr. Ord.

83. Non posse S. Pontificem simplici Sacerdoti delegare potestatem conferendi ordinem Presbyteratus, communis est sententia vid. P. Wex. *Epitom. de Pralat. regul. p. 2. contr. 2. per tot.* utraque mihi probabilis esse probatur.

Sess. 23. de refor. c. 10.

84. Probabilius est Prælatum regularem nec licitè nec validè sæcularibus non subditis impertiri posse ordines minores, licet accedat consensus Dicesani Contraria tamen sententia fusè defenditur à M. P. Franc. Schmier. *Jurispr. l. 1. tr. 4. cap. 2. sect. 2. §. 2. & 3. per tot.* Clariff. Schmalzgr. *ad Tit. de temp. ordin. n. 32. Engel. in privileg. Monast. q. 9. n. 4.*

Ead. Sess. c. 6.

85. Clerici & aliâs personæ Ecclesiasticæ non sunt exemptæ à jurisdictione sæculari, in causis civilibus jure divino, sed tantum jure humano positivo; saltem

saltem immediatè & in hypothesi. contra Laym. *Tb. moral. lib. 4. tr. 9. c. 8.*
n. 1. Barbos. jur. Eccl. l. 1. c. 39. §. 2. n. 5. & aliàs satis communem.

Ead. c. 16.

86. Tridentinum irritans dispositionem bonorum à Novitio factam, eti-
 am extendi ad eam, quam adhuc in sæculo, licet intuitu religionis, fecit, sat
 probabiliter asseritur à Molin. *de J. & J. tr. 2. Disp. 139. n. 13.* mihi problema sit.

Ead. Sess. & eod. c.

87. Novitius non potest resignare beneficium durante novitatu. contra
 Garc. *de Benefic. p. 11. c. 9. n. 12. & seqq.* Barbos. *de offic. Episcop. alleg. 99.*
n. 19.

Iterum eod.

88. Dispositio Novitii de bonis suis per actus inter vivos facta, non est
 irrita, casu quo Novitius in Monasterio ante Professionem moritur. contra
 Sanchez *in Decalog. Tom. 2. l. 7. c. 5. n. 49.*

Ad Regulas Cancellariæ.

Reg. 2.

89. Devolutio beneficiorum ob negligentiam inferiorum Collatorum eti-
 am fit ad Capitulum sede vacante. contra plurimos sequentes Abbatem *in c.*
14. de major. & obed.

Reg. 18. dictam de viginti.

90. Dies contentus à resignante dati non est computandus intra 20. dies
 requisitos ad superviventiã resignantis; sed prima dies à subsequente primùm
 nocte computabitur, residuò diei à computo exclusò. contra Palao *Tr. 13. D.*
6. p. 2. §. 3. n. 10. Pirhingh. *ad Tit. de renunt. n. 34.*

Ead. reg.

91. Nec in iis 20. diebus, dies ultimus habetur pro completo. contra non
 paucos apud Flam. *l. 12. q. 8. n. 19.*

Ad Concordata Germanice.

§. Præmissorum.

92. Utrùm ea beneficia, quæ in Episcopum Electus, confirmatus & con-
 secratus, quamvis plenam Episcopatus sui possessionem habeat, ex singulari
 tamen Pontificis dispensatione, vel ad certum tempus, vel in perpetuum re-
 tinet; postmodum, cum elapsò dispensationis tempore, vel mortuò Episcopò
 vacaverint, Pontifici reservata sint? inspecto jure non convenit inter DD. Mihi
 cum Clariff. P. Weiss. *in assert. super concord. Germ. aff. 32.* illi probabilius sen-
 tire videntur, qui beneficia ea, quæ ad certum tempus ex dispensatione Pon-
 tificis retinent hi Episcopi, elapsò postmodum tempore Pontifici adhuc refer-
 vata putant, non autem illa, quæ in perpetuum ex Pontificis dispensatione E-
 piscopo manent, & primitus per obitum Episcopi rursus vacant.

§. item placet nobis.

93. Casu quo Electio cum Postulatione concurrat, & Electus habeat
 ultra

ultra tertiam votorum, acquiritur illi jus per Electionem, nec potest Superior postulatum admittere præ Electo. contra P. Laym. *22. Can. de Elect. q. 7. P. Pirringh. ad Tit. de postul. n. 18.*

§. de cæteris verò.

94. Annata à S. Pontifice rationabiliter exiguntur contra Gerson. in *Tr. de sim. & Duar. Tr. de benef. l. 6. cap. 3.*

Ad Bullam Gregorii XV. quæ incipit, *Cum aliàs.*

95. Sacrorum & religiosorum Locorum immunitas favor est religionis, Republicæ non perniciosus, nisi nimium extendatur. Contra Philonem *de LL. specialibus.*

96. Immunitas Ecclesiis & locis piis concessa non extenditur ad altare portatile. uti contra P. Ant. *Quintanaducas Tb. mor. Tr. 4. sing. ult. n. 9.* resolvit. P. Illung. *tr. 5. D. 2. n. 256.* Fagnan. *in c. 9. de Immun. n. 25.* Suarez. *Tom. 2. de relig. lib. 3. c. 9. n. 10.*

97. Non privatur asylo, qui cædem vel mutilationem committit prope Ecclesiam in ejus atrio scalis &c. licet post crimen perpetratum ad Ecclesiam fugâ se recipiat. contra Gutierrez. *pp. 22. civ. l. 3. q. 1. n. 15.* Farinac. *pr. crim. q. 28. n. 56.*

98. Eadem Immunitas etiam debitoribus pecuniariis prodest. contra Cavallos *de cogn. per viam viol. p. 2. q. 5. n. 6.*

99. Et mandantibus aliquem occidi vel mutilari in Ecclesia Diff. Laym. *l. 4. tr. 9. c. 3. n. 6.* Marth. *de jurisd. p. 2. c. 51. n. 26.* Illung. *tr. 5. D. 2. n. 263.*

99. Affassinii Crimen non committit qui pretio conductus occidit infidelè. contra Bonac. *Tom. 2. D. 3. q. 7. p. 6. §. 5. n. 9.* Mar. Ital. *de Imm. l. 1. c. 5. §. 4. n. 20.*

100. Si existens in Immunitate, dolo alterius privatae personæ (fide tamen dignæ) peritusus, egressus sit, nihilominus à Judice sæculari capi nequit, sed Ecclesiæ debet restitui. contra non pacuos, quos sequitur Delben. *de Imm. sect. 5. n. 25.*

101. Immunitati derogari potest per consuetudinem contra Alexandr. Sperell. *Decis. 303. n. 45.*

102. Reus nec ligari, nec aliâ viâ iterim custodiri à Judice sæculari potest, dum ab ordinario examinetur causa, an Immunitate gaudeat? contra Sarp. *de Jur. asyl. c. 6. fol. 65.* Jul. Clar. *§. sui. q. 30. vers. quero modò.*

103. Casu quo dubium est an confuga gaudeat Immunitate Ecclesiæ nec ne? Cognitio dubii hujus pertinet ad Judicem Ecclesiasticum privativè & exclusò Judice sæculari.

104. Excommunicatio, quam in violatorem Immunitatis jura statuunt, non est reservata sedi Apostolicæ. contra Mar. Ital. *de Imm. cap. 6. §. 2. n. 23.* Dian. *p. 6. tr. 1. resol. 34.* Barbos. *jur. Eccl. l. 2. c. 3. n. 167.*

Ad

Ad Bullam Cænæ.

§. 1.

105. Excommunicationem in cit. §. 1. adversus legentes Libros Hæreticos latam ac S. Pontifici reservatam, etiam incurrit is, qui penes se retinet Epistolam, Concionem vel aliud scriptum, quod hæresin continet, licet tractatus formam præ se non ferat. contra Sanchez *Moral. l. 2. c. 10. n. 29.* P. Wiestner *ad tit. de Heret. n. 19.*

§. 15.

106. Etiam Judex laicus competens est in causa aliàs spirituali, si ventiletur Quæstio meri facti. contra Mart. *de Jurisdic. p. 4. cent. 1. c. 38. n. 11.* Garc. *de Benef. p. 1. c. 2. à. n. 50.* Gutierrez. *22. Can. c. 34. à. n. 24.* non tamen si dubium sit, siue causa spiritualis nec ne?

§. 29.

107. Bulla Cænæ obligat omnes indistinctè fideles, etiam in locis, ubi non fuit promulgata. contra Gibal. *Scient. Can. l. 7. cap. 7. q. 1. n. 17.* & *l. 9. c. 4. q. 3. n. 5.* & *seqq.* licet aliàs juxta probabiliorem promulgatio legum Ecclesiasticarum adinstar civilium in singulis provinciis requiratur, ad essentiam earundem in actu secundo complendam.

EX JURE CIVILI.

Ex Institutionibus.

§. 8. de Test. ordin.

108. Etiam plures quam duo Testes ex eadem familia vel domo sumi poterunt. contra Pinell. *l. 1. select. 22. l. 3.*

§. 1. de inoff. Testam.

109. Speculativè & in Theoria probabile est, Fratrem germanum indistinctè habere querelam adversus testamentum Fratris, si ipsi non fuerit relicta legitima. contra communem, de qua testatur Gletle *in 22. select. 2. pand. part. 9. 8.*

110. Gravissima & subtilis est controversia, quænam in societate præstetur culpa? communior cum Struv. *Decis. Sabbath. c. 5. decis. ult.* tenet præstandam esse latam & levem, ex generali regula: quoties utilitas utrique parti contrahenti communis est, præstatur Lata & levis, contrarium tamen Exercitii gratiâ amplector.

§. 1. de perpet. & temp. art.

111. Actiones rei persecutoriæ ex delicto, non dantur adversus hæredes, si ad eos nihil pervenerit. contra Covarruv. *var. resolut. l. 3. c. n. 7.* Giph. *ad §. 2. 7. de perpet. & temp. art.*

Ex Digestis.

l. 1. §. 1. de offic. ej. cui mand. est jurisd.

112. Castro cum jurisdictione in genere alicui à supremo Principe concessio, non censetur concessum quoque esse imperium merum, siue jurisdictio Criminalis. contra Vultej. *de feud. l. 1. c. 5. n. 5.* Menoch. *de præsumpt. l. 3. præsumpt.*

§

sumpt. 97. n. 13. § 33. ac novissimè Clariss. D. Rudolphi in Centuria Palladis togata q. 3. per tot.

L. 1. §. 5. de conjung. cum emanip. lib.

113. Verius est justè exheredatum in computatione legitimæ inter alios semper numerandum esse. contra Gomez. *var. resol. Tom. 1. c. 11. Carpov. jurispr. for. p. 3. q. 10. def. 12. § 13.*

L. 3. de inoffic.

114. Testamentum ob præteritionem filii vel iniquam exheredationem nullum, adjectâ clausulâ codicillari in fideicommissum flecti existimo. contra Ludwell. *de ultim. vol. p. 2. c. 5. pag. mihi 418. Bockelm. ff. de inoff. n. 7.*

L. 4. in pr. de servit.

115. Jus alendorum Canum venaticorum immemoriali tempore præscribi potest. contra Paul. Wehner. *pract. obs. lit. F. verbo Forst-Recht.*

L. 8. pr. ad L. aquil.

116. Etiam culpa in omittendo vindicatur lege aquiliâ. contra Zoes. *ff. ad L. aquil. n. 7. Prænob. D. Christoph. de Chlingensp. f. ad L. aquil. q. 6. obt. 1.*

L. si servus §. inquit. eod.

117. In insigni hac controversia, ante quosdam annos magnò, ut testatur cit. Prænobilis Author. *Dissert. de oper. subdit. ass. 53. n. 1.* strepitu, ventilata: an hoc ipso quod probata sit præscriptio temporis immemorialis, etiam absorpta & probata sit præscriptio centenaria? lubet sequi Cravettam *de antiq. Temp. p. 4. rubr. absolutis n. 2. § seqq.* ac negativam suo modo tueri contra Covarruv. *in cap. Possessor. p. 2. §. 3. n. 10. de R. f. in. 6.*

L. 4. §. 2. fin. regund.

118. Possessor bonæ fidei fructus consumptos ante litem contestatam perceptos, irrevocabiliter facit suos, etiamsi inde factus fuerit locupletior. *Diff. Faber. in conject. l. 4. c. 17. cum magni nominis TT. ut Laym. Th. moral. l. 3. Tr. 2. c. 3. n. 7.*

L. 11. §. 1. vers. ego autem ad exhi.

119. Advocatus in propria causâ victor, ab Adversario succumbente & in expensas condemnato salarium pro suo labore petere valet, contra Trentacinq. *l. 2. var. resolut. de postul. resol. 3. Menoch. de arbitr. cas. 154.*

L. 35. ff. de jure dot.

120. Juramentum judiciale in specie, potest Reo ab Actore deferri, etiamsi hic nihil adhuc probaverit. contra varios citatos à Fachin. *l. 1. c. 19.*

L. 26. §. 12. de Condiçt. indeb.

121. in gravissima controversia: an Domino integrum non sit, operas & servitia suorum rusticorum (quibus forsân non indiget) alteri locare, cedere, vel delegare? affirmativè concludo contra Prænob. D. Christ. de Chlingensp. *Diff. de oper. subd. cap. 7. ass. 69, Matth. Berlich. decis. p. 1. decis. 67. n. 4. & alias communiorem.*

L. 8. 9. § ult. de Condiçt. furtiva.

122. Condiçtio furtiva datur adversùs furis hæredes in solidum, etsi ad eos nihil pervenerit. contra Cujac. *l. 7. observ. c. 37. Vult. ad §. 14. f. de act.*

L. 25.

- L. 25. §. 18. de pet. heredit.*
 123. Petitio hæresitatis est actio merè realis. contra Merend. *contrav. jur. l. 26. c. 47. Eckold. ff. fam. ercis. §. 1. L. 1. & 2. ad L. Rhod. de jact.*
124. Speculativè melius defenditur, ædibus ob periculum incendii intercis, damnum à vicinis non esse æqualiter resarciendum, Diff. communis cum Duaren. *ff. ad L. Rhod. de jact. c. 2. Lauterb. eod. Tit. §. ult. L. procuratoris §. planè de Trib. act.*
125. Venditor, qui sibi in re vendita specialem hypothecam reservavit, non exinde præfertur Creditoribus hypothecariis anterioribus. contra Cujac. *in L. qui balneum. ff. qui pot. in pign. L. 7. in pr. de except.*
126. Beneficium literarum Moratoriarum tam ex dispositione juris, quàm voluntate concedentis prodest Fidejussoribus. contra Besold. *in Thesaur. pract. verbo quinquennet. L. 2. §. 1. ad. SC. Vellej.*
127. Mulierem, de beneficio sibi in juribus concessò, edoctam & certioratam, SC. Vellejano renuntiare posse, in praxi, ut audio, recepta est sententia; in Theoria eam similiter propugnant Perez. *in Cod. Titt. de SC. Vellei n. 32. Struv. ad Pend. exercit. 21. Th. 10. contrarium mihi tamen verosimilius est. L. in §. 24. depos.*
128. In Puncto juris rei immobilis non dari depositum malè, meò judicio, negant Wissenb. *ad ff. D. 31. Th. II. vol. 1. Schneidew. ad §. 3. §. quib. mod. re contrab. oblig. L. 35. §. 6. de Contrab. empt.*
129. Sicut nec satis accuratè à Molina de *J. & J. Tom. 2. 229. Lugo. n. eod. tr. Tom. 2. D. 25. sect. 1. n. 1. asseritur, oves, boves, Equos &c. constituere materiam mutui. L. 1. §. 4. & §. de Hæred. vel. act. vend.*
130. Hæreditate venditâ jus accrescendi transit ad emptorem contra Brunnem. *ad L. 2. ff. de hæred. vend. n. 6. Zoes ff. de leg. n. 60. L. si Creditor §. fin. de distr. pign.*
131. Si alienatio per conventionem fuit vetita, Domini translatio tamen non impeditur. contra Merendam *contr. jur. l. 1. cap. 31. fusè & subtiliter contrarium propugnantem, quem sequitur Magnif. D. Laurent. Albert. Verlohner in semicenturia select. Q. Q. sub initium. L. si fundo §. ult. de Evict.*
132. Probabile est emptori, qui litem non denunciavit, nihilominùs competere actionem de evictione, modò notorium sit, denunciationem ad nihil profuturam fuisse. contra Salicet. *ad L. emptionem ff. de act. empt. Dec. cons. 74. ad fin. L. 46. de Leg. 2.*
133. Emphytevsin pro filiis concessam, pertinere etiam ad filias ex præsumpta mente contrahentium statuunt Pinell. *ad l. 3. Cod. de bon. matern. Fach. l. 8.*

l. 8. c. 97. Prænob. D. Christ. à Chlingensp. Diff. de Emphyteusi c. 8. ass. 79. n. 2.
Nihilominus contraria congruè defenditur

L. 19. de usufr.

134. Relicto domûs cujusdam usufructu cum clausula: facultatis alienandi, non solum usufructus, sed & ipsa rei proprietas relicta esse censetur, contra Harprecht. *ad §. 21. 7. de legat. n. 43. & seqq. cum plurimis à se citt. DD.*

L. 63. & 65. de Cond. & demonstr.

135. Legatum sub hac conditione A catholicico cuidem relictum: ut fidem Catholicam amplectatur, purum esse, eidemque rejectâ conditione tanquam turpi, præstari debere, tenent heterodoxi omnes & omnium fusissimè Besold. *delib. jur. l. 5. Tit. 2. n. 27.* sed absque fundamento.

L. 1. §. 7. de N. O. N.

136. Nuntiatio novi operis etiam notoriè injusta impune sperni nequit, contra Gail. *l. 1. obs. 16. n. 4.* Struv. *ad Pandect. exercit. 39. Th. II.*

L. 13. §. ult. de re jud.

137. Inspecto jure Civili is qui factum promisit, præstando interesse liberatur, contra Pinellum, Corrasium, Cujacium &c. quos allegat Harprecht. *7. Tit. de V. O. pr. n. 59.*

L. 75. §. fin. de V. O.

138. Subditos ad præstandas operas obligatos, si per 30. vel 40. annos pecuniam pro iis præstiterint, ad operas in natura exhibendas cogi postmodum non posse, communis fuit omnium Interpretum, præsertim Veterum. In apice juris tamen contrarium insigniter defendi posse existimo cum Casparo Klock *de contrib. c. 2. n. 67.*

L. 1. §. 4. à quib. appell.

139. Potest Princeps alicui causam delegare: *appellatione remotâ.* Quæ tunc non tantum de frivola, sed etiam justa appellatione intelligitur, contra Gail *l. 1. obs. 33. n. 5.* Gonzal. *ad cap. pastoralis 53. de appell. n. 3.*

L. ult. §. 24. de manerib.

140. Nobiles comparantes sibi prædia rustica non fiunt per hoc immunes ab oneribus rusticis realibus. contra Fabr. *in Cod. lib. 9. Tit. 29. desin. 3.* Andr. Tiraquel *de nobil. c. 20. n. 168.*

Ex Codice.

L. 8. §. suscipimus de SS. Trinit. & l. 8. pr. de Hæret.

141. Ex Codice validè probatur sequendam esse Religionem Romano-Catholicam, uti eruditè & solidè demonstrat Magnif. & Excellentiss. D. Herm. Ant. de Chlingensp. Professor mihi observandissimus in *Diff. de oblig. Juris Civ. in conscientia q. 19.*

Auth. item nulla de SS. Eccl.

142. Inhabilitati à Jure Civili ad Testamentum condendum, neque possunt testari ad pias causas; contra P. Engel. *Tit. de Testam. n. 4.* Carden. *in Crisi Theolog. p. 1. D. 2. fusè contrarium propugnantem.*

L. non

L. non dubium de LL.

142. Lex prohibens non hoc ipso etiam est lex irritans. contra communiorem Legistarum.

L. fin. §. fin. de mod. mult.

143. Judex sententiam interlocutoriam simplicem à se publicatam adhuc revocare valet. contra R. P. Haunold. *de J. & J. Tom. 4. tr. 5. c. 1. Controv. 2. §. 3.* Schwedend. *in addit. ad ff. Eckoldi de sent. & re jud. §. 170.*

L. fin. de pact.

144. Inspecto jure naturali pactum de viventis hæreditate non est nullum. contra Joan. del-Castillo *l. 3. controv. c. 10. n. 21.*

L. postulata de in integr. restit.

145. Probabile est sententiam, quæ transit in rem judicatam, executioni dari non deberi, si contra eam petatur restitutio in integrum. contra Ant. Fabr. *in Cod. lib. 2. Tit. 30. def. 1. Mynsing. cent. 4. obs. 64. Boer. decis. 65. n. 7. & seqq.*

Auth. Sacramenta puber. si advers. vendit.

146. Contractus de jure Civili invalidi per adjectum juramentum non firmanur in ratione contractus, sed tantum in ratione religionis. contra D. Rath *Q. Q. illustr. aff. 71. lit. A. Gomez. var. resolut. Tom. 2. c. 4. n. 18.*

L. 36. pr. de inoff.

147. Sententia quæ afferit, legitimam à Parentibus non posse assignari in pecunia numerata vel bonis mobilibus, videtur probabilior Fachinæ *l. 4. controv. 133. & Zoefio ff. de inoffic. Testam. n. 102.* mihi verò contraria juri conformior.

L. 3. de aleat.

148. Non obstante consuetudine, id quod lusperditum est, rectè repetitur, & Authore Judice reddendum erit. contra D. Rudolphi. *cent. togat. palelad. Q. 31. in ration. decid. rat. 3.* allegantem D. Thom. Farinac, Covarruv. Jul. Clarum &c.

Auth. ad hac de fid. Instrum.

149. Libri censuales vulgò: *Stüfft-Bücher* non faciunt legitimam probationem contra subditos. contra Welsenb. *p. 4. consil. 166. n. 47. Schurpf. cent. 3. Conf. 90.*

L. 11. de contrab. empt.

150. Subditi cogi nequeunt Domino potiùs quam alteri, licet eodem pretio, res suas vendere vel locare. contra Jason *in L. ult. Cod. de Jur. Emphyteot. n. 11.*

L. fin. de usur.

151. Durante beneficio literarum moratoriarum usuras etiam ante currentes fisci volunt Carpozov. *in asyl. debit. c. 4. n. 95. Moller. 4. semestr. c. 7.* sed contra æquitatem.

L. 2. de rescind. vend.

152. Inter primæ notæ Doctores anceps est controversia: an emptori competat remedium *l. 2. Cod. de rescind. vend.* si sciens valorem rei venditæ, minimò eam pretiò distraxerit? *negant* Giphon. *in cit. l. 2. Vinn. l. 1. select. Q. Q. c. 56. Wissenb. ff. de rescind. vend. Th. 16. Affirmant.* Pinell. *in eand. l. 2. Covarruv. var. resol. l. 2. c. 4. n. 2. Fach. l. 2. c. 20. &c.* mihi arridet sententia

media,

media, distinguens inter casum, quo venditor necessitate compulsus id fecit, & inter eum quo, liberò consiliò; in priori primæ, in posteriori secundæ ad stipulor sententiæ.

L. 3. de Veditigal. & commiss.

153. Si incidiò Dominò Aurigæ merces non profiteantur, nihilominùs Dominus in pœnam commissi incidit. contra Boer. *Decis. 178. n. 34. & 45. Peregr. de jur. fisci l. 6. tit. 5. n. 35. limit. 4.*

L. 3. de Jur. Emphyt.

154. Si Emphytevta partem suæ Emphytevsis alienaverit, tantùm illà parte, & non totà privari poterit. contra Corbul. *de jur. Emphyt. Gyphan. in l. 3. q. 3. Cod. de jur. emphyt.*

Ibidem.

155. In apice juris probabilius esse existimo, Emphytevtam per solam venditionem traditione non subsecutà in pœnam Caduci incidere, contra Joann. Coler. *meth. jur. emphyt. c. 2. n. 1. Jason. Alexandr. &c. quos sequitur. Prænob. D. Christ. de Chlingensp. Diss. de Emphytev. c. 8. aff. 78. n. 2.*

L. 7. de nupt. & l. liberos de ritu nupt.

156. Speculativè probabile est, Patrem non teneri dotare Filiam divitem. contra comm. Perez- *ad Tit. Cod. de dot. promiss. n. 8. neque illam, quæ sine ejusdem consensu nupsit. contra Molin. de primogen. l. 2. c. 16.*

L. 1. de dot. promiss.

157. Maritus, qui duxit uxorem, nullà dotis mentione factà, non potest eam cogere, ut sibi dotem constituat. contra Bald. in *l. fin. Cod. de sent. que sine cert. quant. n. 8.*

L. 7. de Collat.

158. An fidejussor liberetur si Creditor debitori solvendi terminum prorogaverit? Quæstio est, ut ait Köppen. in *suis Decis. q. 40. n. 3.* pragmaticà decisione dignissima. Affirmant. Gail. *l. 1. obs. 91. in fin. Wurmbler ad Tit. de fidejuss. obt. 1. negant Matth. Coler. de process. execut. p. 1. c. 10. n. 34. Mynsing. cent. 6. obs. 53.* media rursus via mihi præplacet; & priori calculo ad stipulor, si fidejussor ad certum duntaxat tempus, posteriori verò; si simpliciter datus fuerit. Distinctio hæc nonnihil obscura oppugnantibus dilucidabitur.

L. 11. §. 1. de testam.

159. Seclusà consuetudine Testamentum ad causas pias in terris Imperii non subsistere, nisi debitis solemnitatibus instructum fuerit, mihi satis est probabile. contra Communem de, qua testatur Fagnan. in *c. 11. de Testam. n. 11*

L. post. aditam de Impub. & aliis subst.

160. Minore adversùs petitionem hæreditatis restituto, non succedit vulgariter substitutus, sed hæredes ab intestato contra. Salicet. in h. L. & plures alios quos refert Odd. *de restitut. in integr. q. 62. art. 8.*

L. 1. Communia de leg.

161. Legatariis & fide-commissariis non competit Hyptheca in bonis eisdem à Testatore relictis, contra plurimos quos citat Faber. *Decad. 49. error. 9. n. 8. Fach. l. 12. c. 32.*

Auth.

Auth. nisi rogati ad SC. Tubell.

162. Puellæ, cui sub conditione: si nupserit, mille, si verò religionem amplectatur, quingenti legantur floreni, religionem ingredienti tantum debentur quingenti, ut ut causa religionis sit favorabilis. contra Menoch. *de præsumpt. l. 4. præf. 83. n. 26.* P. Engel. *de privileg. Monast. privileg. 16.*

L. fin. de jur. delib.

163. Probabile est hæredem non confectò inventariò, etiam in foro interno teneri Creditoribus ultra vires hæreditarias. contra Fachin. *l. 6. contro. c. 24.* P. Engel. *ad Tit. de Constit. §. 3. n. 37.*

L. 1. §. 1. de annal. except.

164. Juri retractus 30. vel 40. annis præscribitur, etiamsi conventum fuerit, ut illud in perpetuum competeret; contra Gail *l. 7. obs. 18.* Wissenb. *ff. de servitut. exportand. Th. 32.*

L. an. si de moment. poss.

165. In judiciis possessoriis saltem summariis & momentaneis non admitti appellationem quo ad effectum suspensivum, satis certum est; an verò neque quo ad effectum devolutivum? summopere controvertitur. affirmativè concludo contra D. Rudolphi *in cit. cent. Pallad. tog. q. 98. per tot.* Carpzov. *respons. Elect. l. 1. resp. 13.*

Auth. præsentis de fidejuss.

166. Juramentum fidejussioni adjectum, non præjudicat fidejussori quò ad beneficium excussionis contra Guttierrez. *de juram. confirm. p. 1. c. 23. n. 26.* Hering. *de fidejuss. c. 27. p. 1. n. 52.*

L. 2. qua sit longa consuetudo.

167. Potest, imò necessariò debet consuetudo confurgere ex actibus merè peccaminosis & formaliter illicitis, contra Laym. *l. 1. Th. moral. tr. 4. c. 24. n. 11.* P. Mezger. *Disp. Theol. de leg. Divin. & hum. c. 6. §. 3. n. 13.*

L. 5. de injur.

168. Qui adversus testem in judicio de crimine aliquo excipit, quod tamen non probat, non tenetur desuper actione injuriarum. uti inclita facultas juridica almæ hujus Universitatis bis respondit apud Fachin. *l. 9. c. 13.* contra Wurmbser. *Tit. 8. obs. 7.* Clariss. D. Rudolphi *cit. cent. Pallad. togat. q. 94. per tot.*

Ex Novellis.

Nov. 22. c. 23.

169. Conjux transiens ad secunda vota, perdit etiam proprietatem eorum lucrorum, quæ ex consuetudine aut alio pacto reciproco superstes ex bonis defuncti percipit. contra Sanchez. *l. 7. de matrim. D. 89.* Castro-Palao *de sponsal. D. 4. punct. 13. §. 6. n. 2.*

Nov. 72.

170. Probabile est in Tutorem testamentarium assignari non posse, creditorem vel debitorem pupulli, etsi Testator dati tutoris qualitatem sciverit, contra

contra Carpzov. *jurispr. forens. p. 2. const. 11. defn. 19.* Wissenbach. in l. 8. qui Tutores dare &c. & aliàs communiorem.

Nov. 115. c.

171. Nequit Filius ob alias, quàm in dicto nov. loco enarratas 14. causas à Parente exhæredari, contra Manz. *tr. de Testam. Tit. 10. q. 9.* Struv. *Syntagm. jur. Civil. exercit. 32. Th. 33.* & ibidem Petr. Muller. in not.

Ead. nov. c. 3.

172. Matrem dote acceptâ, hæreditati paternæ juramentò adjecto renuntiare posse cum effectu, statuunt Canonistæ. An verò hæc jurata renuntiatio etiam liberis ita obsit, quo minus matre præmortuâ ad avitam hæreditatem admitti debeant, controversia est hujus sæculi nobilissima. Affirmativa placet Viris consummatæ scientiæ, sequentibus Carpzov. *jurispr. for. p. 2. const. 35. defn.* Berlich. *conclus. practicab. p. p. 2. conclus. 43. n. 17.* mihi contraria melius defendi posse videtur.

Nov. 120. c. 8.

173. Probabile est Dominum non amittere jus caduci, si Canonem intra biennium non solutum, ex post absque protestatione recipiat vel exigat. contra Vinn. l. 7. *select. Q. 2. c. 3.* Bachov. *ad Treutl. vol. 1. D. 29. Th. 12. Lit. E.* Harprecht. *ad §. 3. f. de locat. & cond.*

Nov. 123. c. 19.

174. Sunt plurimi qui cum Wissenbach *ad L. ult. Cod. de inoff.* Struv. *ad ff. exercit. 10. Th. 39.* Eckold. *eod. Tit. §. 7.* sustineant, testamentum Filii de quasi castrensi peculio confectum jure novissimo subjacere querelæ, sed perperam, nec satis convincenter.

Nov. 128. c. 11.

175. Etiam non existente accusatore in delicta licet specialiter inquirere. contra Prosper. Farinac. *prax crimin. Tr. de inquisit. q. 1. n. 7.* Jul. Clar. *§. fin. q. 3. Vers. debes autem scire &c.*

EX JURE FEUDALI.

Tit. 1. feud. 1.

176. Fœminas non succedere in feudo emptitio juri est conformius. contra Menoch. *conf. 498. n. 17. l. 5.* Gail. l. 2. *observ. 195.*

Tit. 13. feud. 1.

177. Potest Vasallus de feudo novo testari in præjudicium liberorum, præsertim si Dominus directus consentiat, contra Ludwell. *Tr. de success. feud. cap. 5. pag. n. 245.* Gletle in *tr. Canonico-Civili de Testam. p. 2. cap. 2. §. 2. Controv. 2.*

Tit. 27. feud. 1.

178. Vasallum, qui ob commissam feloniam feudo per sententiam prius privari deberet, non facere fructus suos, etiam ante litem motam perceptos, congruè satis defenditur. Quidquid contra sentiat Brunnem. *conf. 41. n. 49.* Peregr. *de jure fisc. l. 5. Tit. 1. n. 174.*

Tit.

Tit. 27. feud. 1.

179. Conditionalis investitura in mortem viventis adhuc Vasalli concepta, etiam de jure feudali fieri potest, si Vasallus legitimos successores habeat. contra communiorem cum Fachin. *l. 7. controu. cap. 28.* & aliis, quos citat Prænob. D. de Bassus. *Diss. de consuetud. n. 108.*

Tit. 11. feud. 2.

180. Si Agnatus Agnato feudum validè alienanti in allodis hæres existat, nihilominus ipsi jus feudum alienatum competere, probabile existimo. contra communiorem cum Zas. *de feud. p. 9. n. 28.* Vultej. *c. 11. n. 125.*

Tit. 13. §. si verò feud. 2.

181. Probabilius videtur Dominum, què in feudi oppignorationem consensit, eò postmodum ad se devolutò teneri debitum contractum persolvere aut feudum à creditoribus distrahendum permittere. contra Affliè. *in Tit. 9. feud. 1.* Zas. *cit. Tr. p. 6. n. 27 & p. 9. n. 8. & 39.*

Tit. 17. feud. 2.

182. Fœminam in feudo semel exclusam, non manere semper exclusam sicut æquius, sic verius est. contra Gail. Fachin. Schrader. & alios quos sequitur Andr. Knichen. *Tr. de invest. pact. c. 3. n. 23.*

Tit. 26. §. 2. feud. 2.

183. Consuetudines feudales dum *in h. tit.* permittunt, ut vivente adhuc Vasallò legitimis successoribus destitutò, investitura conditionalis in mortem illius concepta alteri fieri possit, rationabiles esse, defendi potest. contra Jul. Clar. *l. 4. sent. §. feud. q. 14.* Menoch. Ifern. & alios relatos à Vultejo *de feud. c. 7. n. 67.*

Tit. eod. §. inter filiam.

184. Dominum non posse proprià autoritate feudum sibi legitime apertum occupare in puncto juris verius est. contra Fachin. *consil. 14. n. 23.* referentem inclitam hanc facultatem juridicam secutam esse affirmativam, (de quo tamen subsisto ob autoritatem dissentientis D. Arnold. Rhats. *in differ. jur. Communis & Bavar. ass.*) uti refert Vultej. *de feud. l. 1. cap. 11. n. 258.*

Tit. eod. §. 4.

185. Si Dominus directus post se relinquat liberos & ii feudum pro indiviso tenere velint, in apice juris verius est: omnibus separatim, si velint, juramentum fidelitatis præstandum esse. contra Rosenth. *de feud. c. 6. concl. 38. n. 11.* Zas. *de feud. p. 7. n. 11.*

Tit. 30. feud. 2.

186. Clericos in feudis succedere non posse, exceptiis iis, quorum etiam fœminæ capaces sunt, communis eaque verior habet feudistarum sententia. Dissidentibus CC. cum Clariss. P. Schmalzgrub. *ad Tit. de feud. n. 30.* P. Ebberth. *controv. select. controu. 18. n. 2.*

Eodem.

187. Ad hoc, ut feudum ob alienationem Domino aperiatur, requiritur factam fuisse traditionem, quæ tamen non essentialiter vera est, sed sufficit eti-

am ficta per constitutum. contra Schrader. *de feud. p. 9. c. 1. n. 34. & seqq.* & alios ab hoc citatos DD.

Tit. 38. feud. 2.

188. Vasallus feudum, etiam invitò Dominò refutare potest. contra Pinell. *in l. 1. Cod. de Bon. matern. Jul. Clariff. in §. feud. q. 34. n. 1.*

Eodem.

189. Si Vasallus annum Canonem forte conventum solvere negligat, non propterea feudo privari potest. contra Alexandr. *conf. 11. l. 4. & alios videndos apud. Schrader. cit. p. 9. c. 6. n. 25.*

Tit. 39. c. 1. feud. 2.

190. Si proximior agnatus feudum alienatum spatio 30. annorum non revocaverit, possessor illius, aliis ad successione venientibus, completam prescriptionem nequit obtendere. contra Pinell. *in Auth. tricennale Cod. de bon. Matern.*

Tit. 43. feud. 2.

191. In causa etiam nudæ & merissimæ possessionis feudi non Judex ordinarius sed Dominus directus adiri debet. contra Ifern. Paridem de Puteo. *de redintegr. feud. c. 198. n. 5. & seqq.*

Tit. 52. feud. 2.

192. Probabile est posse Vasallum in feudo suo hypothecam constituere, inficiò vel invitò Domino, nec per hoc feloniam committere, contra Sonsbecium, & alios quos citat & sequitur Carpzov. *resp. Elect. l. 5. resp. 29.*

Tit. 40. §. præterea feud. 2.

193. Probabile est feudum præscribi non posse, quò ad Dominium directum, etiam longissimo tempore. contra communiorem, cui se jungunt Gail. *observ. l. 2. obs. 160. Menoch. l. 2. conf. 134. n. 20.*

EX JURE CRIMINALI

Ad pœnalem Constitutionem Caroli V. Imperat.

Ad art. 9.

194. Satis probabile est, posse, imò quandoque debere Judicem ex indicis certis, gravioribus ac indubitatis, commissi delicti veritatem Quæstionibus five tormentis eruere; ut maximè de corpore delicti liquidè & per evidentiam facti non constet. contra communiorem. Brunnem. *de indic. p. 2. q. 5. n. 7. Marsil. in l. 1. n. 5. ff. de Quæst. Jul. Clar. l. 5. sent. §. ult. q. 4. in pr. & q. 64.*

Ad art. 20.

195. Siquis non præcedentibus legitimis indicis torturæ subjectus & in ea crimen confessus fuerit; non poterit ex hac sua confessione, ut ad ban- chum juris ratificata, ordinariò supplicio affici. contra Ant. Merenda *Controv. jur. l. 5. c. 9. & seqq.* subtiliter nimis contrarium propugnantem.

Ad

Ad art. 42.

196. Judicem non posse licitè in conscientia uti Torturâ ad eruendam rei confessionem contendit cum aliis non parvæ Authoritatis Viris Jacob. Wiffenbach. *lib. 58. ff. Disp. 37. Th. 13.* quibus se communiùs & veriùs opponunt Gomez. *var. resolut. tom. 3. c. 13.* Laym. *de J. & J. Tr. 6. c. 5. n. 9.*

Ad art. 66.

197. Reus legitimè & servato Juris ordine interrogatus, tenetur quidem fateri crimen in causis civilibus, non tamen in criminalibus pœnam mortis vel mutilationis inferentibus; sed potest uti verbis æquivocis vel amphibologicis, aut etiam rotundè negare, crimen quæstionis à se patratum esse. Licet contraria sententia magnâ DDrum Authoritate sit subnixâ, sequentium S. Thomam 2. 2. q. 69. art. 1. vid. Lugo *de J. & J. D. 40.* Cardenas *in proposit. damn. ad proposit. 26. & seqq. Diff. 19. c. 7. n. 81.*

Ad art. 105.

198. Dignitatem & generis nobilitatem rationem sufficientem præbere, à pœna delicti ordinaria recedendi indistinctè affirmant, Tiraquel *in tr. de nobilit. c. 20. n. 108.* Salicet. *in L. servus Cod. ad L. Jul. de vi publ.* negant Carpzov. & ejus affectæ q. 148. n. 38. melius distinguunt alii inter crimina, quæ per nobilitatem aggravantur, & inter ea, quæ per hanc minuantur; & sic in prioribus Nobilitatem non suffragari, benè tamen in posterioribus contendo cum Gailio *observat. l. 2. obs. 110. n. 39.*

Ad art. 109.

199. Nicolaus Brandt JC. Lubecensis celeberrimæ Nationi Westphalicæ grandem injuriam intulisse videtur, *in Dissert. de legitima malef. & sag. inveſtigandi ratione part. 2. n. 23.* dum ait. explorationem & purgationem per aquam frigidam, vulgò **Wasser-Prob** dictam; ad mulieres de magia suspectas convincendas, præsertim in Westphalia, adhiberi solere. Sicut enim hæc probatio uti & aliæ variæ, quæ per aruspices, duellum vel alios modos superstitione plenos, olim fieri assolebant, SS. Canonibus *in Tit. de purgat. vulg. adversantur*; sic etiam eos in Patria mea, Jctis florentissima, quâ quâ circumvigere, nec vidi unquam, nec unquam audii.

Ad art. 116.

200. In delicto sodomitico (sicut in nullo alio, paucis quibusdam exceptis) Conatus & attentatum scelus pœnâ ordinariâ coerceri neutiquam potest. contra Damhoud *in pr. rer. Crim. c. 96. n. 16.* Petr. Gregor. *in sintagm. Jur. l. 36. c. 14. n. 1.* Gail. *l. 1. de pac. publ. c. 14. n. 26.*

Ad art. 137. in pr.

201. Non potest puniri pœnâ homicidii ordinariâ, Is, qui in plena ebrietate alterum occidit, licet ante jam sciverit, se sumptò liberaliore haustu in rixas & iras proniorem esse. contra communem, quam sequuntur Gail. *l. 2. obs. 110. n. 28.* D. Gletle *Jurispr. Terrib. Tom. 1. p. 1. c. un. §. 3. n. 30.*

Ad eund.

202. Variæ eæque intricatissimæ quæstiones in materia homicidii oriri

T 2

solitæ,

solita, ex hac non infrequenter controversia præjudiciali pendent: An ad statuendam Homicidæ pœnam ordinariam requiratur, ut is animum occidendi dolosum habuerit? quod quidem à Mascardo *de probat. Concl. 864. n. 4.* affirmare citantur Jul. Clar. *pr. Crim. §. Homicidium. n. 3. & 4.* Cæpoll. *conf. 33. n. 27.* Farinac. Alexand. Dec. Marfil. &c. Quibus tamen, bonâ illorum veniâ, meum calculum neutiquam adjicio.

Ad eund.

203. Unde etiam volens occidere Mævium, sed in persona deceptus occidens Cajum, nihilominus mortis suppliciô tenetur. contra Menoch. *cent. 4. cas. 324.* Carrer. *in pr. Crim. de Homicid. §. 2. n. 57.* Tiraquel. *de pœn. temper. caus. 14. n. 2.*

Ad eund.

204. An mandans tantum vulnerari Titium, teneatur etiam de homicidio subsecuto, casu quo mandati limites mandatarius egressus fuisset? gravis est controversia inter Criminalistas, teste Farinacio *de Crim. q. 135. n. 168. & seqq.* Ego cum Carpzov. *q. 4. à. 19.* referre existimem an talibus instrumentis Mandans vulnus infligi curaverit, ex quibus mors faciliè sequitur, an verò levioribus id fieri voluerit? si prius, mandantem ordinariâ, si posterius, extraordinariâ pœnâ affici deberi, juri & rationi est conformius.

Ad art. 140.

205. Ad essentiam moderaminis inculpatæ Tutelæ etiam suô modò requiritur paritas armorum. contra Ant. Perez. *in Cod. Tit. quando unicuiq. se sine Jud. vind. n. 4.*

Ad art. 141.

206. Qui in allegati & prætensi à se moderamis inculpatæ Tutelæ probatione totaliter deficit, pœnâ ordinariâ meritò coercetur. contra Farinac. *oper. Crim. q. 81. n. 157.* Jul. Clar. *pr. Crim. §. fin. q. 58. vers. 17.* Oldekop. *in observ. Crim. Tit. 4. obs. 19. n. 4. &c.*

Ad art. 142.

207. Milites & alii Viri dignitate conspicui, quibus fugere pro probro habet populus, injustè aggressi fugere non tenentur, sed tueri se possunt defensione etiam occisivâ. contra communiorem, quam fusè defendit Carpzov. *q. 19. n. 59.*

Ad eund.

208. Sic etiam eum, qui moderamen manifesto cum dolo egreditur, ordinariô mortis suppliciô plecti non posse defendit idem Carpzovius *q. 29. n. 29.* cum communi. contrarium tamen mihi præplacet.

Ad art. 148.

209. Si Cadaver occisi in præsentia illius, qui de Homicidio suspectus est, sanguinem effundat (id quod non multis ab hinc annis, in contiguo quodam loco contigisse audii) periculosum quin & superstitiosum est indicium. Et sicut in Theoria malè fundatum, sic etiam in praxi non facile ut, putem attendendum, quidquid cum Paride de Puteo & alijs DD. in contrarium asserant Blanc. *de indicijs n. 408.*

n. 408. Boer. *decif.* 166. ab initio ponentes fundamentum, sed arenosum, in *Genesis* 4.

Ad eund.

210. Quando in rixa fortuito suborta plures eidem infixerunt vulnera lethalia, & simul de vulneratoribus constat, omnes poena homicidii ordinaria inspecto jure, punientur. Contrariam tamen non improbabiler defendunt Cardin. Tusch. *Tom. 4. pr. conclus.* 149. n. 12. Farinac. *p. 3. q. 96. n. 31. & seqq.* Harprecht. *in §. item lex Cornelia §. n. 50. J. de public. Judic.*

Ad art. 149.

211. Ocularem vulneris inspectionem in art. 149. ab Imperat. Carolo praecipit adeo necessariam esse existimat Carpzov. *pr. Crim. p. 1. q. 26. a. n. 50.* ut ea omissa, poena ordinaria in Vulnerantem nec debeat nec possit statui; ut ut de lethalitate vulneris per evidentiam facti constiterit; sed nec verbis nec menti Carolinae satisfacere videtur. Quapropter contrarium eligo cum Blumblach. *ad cit. art. 149. n. fin.*

Ad art. 158.

212. Probabilius est, furis haeredes adhuc teneri conditione furtiva, licet fur suspensus jam fuerit. contra plurimos quos citat & sequitur Carpzov. *part. 4. const. 32. defn. 23.* id quod & de homicida statuendum esse censeo.

Ad art. 162.

213. Ob furtum tertium potest quis puniri poena ordinaria, etiam si ex prioribus poenam nullam tulerit; contra Struv. *exercit. ad ff. 48. Thes. 21. q. 3.* Gletle *Jurispr. terrib. Tom. 1. p. 2. cap. 1. §. 8. controu. 3. n. 15.*

Ad art. 176.

214. Si Minitator minas passo fidejussores & pignora dare, adeoque sufficientem de non offendendo cautionem praestare nequeat; Eum hoc casu ad juratoriam cautionem admittendum esse, placet Berlichio *p. 4. concl. 22. n. 10.* Matth. Coler. *p. 2. decis. 232. n. 4.* Alii vero cum Farinac. *q. 107. n. 41.* Cardin. Tusch. *Tom. 1. pract. conclus. lit. C. conclus. 169. n. 13. &c.* volunt, eundem, ubi fuerit persona suspecta, ad omne periculum evitandum relegari debere. Neutra sententia defendi accuratè poterit. Igitur is tam diu in carcere detinendus est, donec idoneam cautionem invenerit.

215. Pulchra à variis movetur Quaestio: An Princeps supremus Jus aggrandi exercere possit in illis delictis, quibus in lege divina veteris Testamenti capitalis poena praefixa est? Affirmativam plerique Catholici tuentur, contra Heterodoxos ut: Carpzov. *q. 150. n. 31. & seqq.* Reincking. *regim. saculari l. 1. class. 5. c. 6. n. 206.* Vitriar. *J. J. P. l. 3. Tit. 17. n. 114.*

& seqq. & ibid. P. Pfeffinger in not.

O. A. M. D. G.

PRÆNOBILI ET CLARISSIMO
DOMINO
GERARDO, GEORGIO, WILHELMO
VOGELIUS,

Paderbornensi-Westphalo J. U. L.

Theſium ſuarum Authori, Præſidi & Defendenti ſingularis amicitiz
ergò applaudit

ILLUSTRISSIMUS ET GENEROSISSIMUS
DOMINUS
FRIDERICUS JOANNES JOSEPHUS
S. R. I. Comes de SEINSHEIM,

à Weng. Moofveng &c.

EQVES MELITENSIS J. U. Stud.

Proponit Liber hic ænigma: quis Oedipus? inquis:
Sphynx, quæ ſola facit, ſolvere ſola poteſt.
Unus homo, idémque eſt prolis Matérque Patérque
Obſtetric, tutor, pronuba, ſervus, herus.

Hic partum vix non impubes edidit iſtum,
Qui ſoli ætati debitus eſſe ſolet.

Præſes, Defendens, cathedram tenet unus utramque,
Profeſſórque ſuus, Diſcipulúsque ſuus.

Jungere tot variè ſecum pugnantia poſſe,
Hæc eſt præ reliquis una ſtupenda Theſis.

Plaudite Sacratæ Themidi; nam naſta Clientem
Se totâ dignum eſt, digna Cliente Themis.

Illa, quod in reliquos diſpergit, jungit in uno:
Hunc (ait admirans) hunc mihi cerno parem.

Hic, fateor, Boicis non parva eſt gloria terris,
Gloria Weſtphalicis non minús apta plagis.

WILHELMI laudes proprias terra utraque ducit,
Bavara terra ſuas, Weſtphala terra ſuas.

At fatís Anglipolis, fat Paderporna decoræ
Laudis habet, quævis pars ubi ſumma datur.

Eidem

Eidem Prænobili & Clarissimo Domino
animitus applaudit

PERILLUSTRIS AC GENEROSUS

DOMINUS

JOSEPHUS JOANNES JACOBUS
L. B. de SCHWANENFELD,

Juris Utriusque Stud.

Non Aquila imbelles Aquilas, nec Martia tellus,
Nutrit in armifono languida Corda finu.
Factis magnanimis nec tu minus inclarescis,
Majorumque cupis grandia facta sequi.
Hoc satis esse probat tua dum certamina laudum,
Doctrinæ studii magna trophæa ferunt.
Talia dum memoro, binam quasi tendere palmam
Tum tua stirps properat, tum tibi juncta Themis.
Plaude Themis, contende sacras imponere lauros
Namque decet pugilem gloria, laus & honos.
Offert, ecce tibi! festivum Fama triumphum
Victorisque decus posthuma sæcla canent.

Eidem Prænobili & Clarissimo Domino
Defendenti

Singularis amicitia & Honoris causâ gratulatur

PERILLUSTRIS AC GENEROSUS

DOMINUS

JOANNES HENRICUS GUILIELMUS
LANTPERTUS L. B. de GEEPÖCK,

à Sulzemoss. & Arnpach &c.

Philosophiæ & Instit. Imperial. Stud.

Pramenda positis quando castris mœnia
Brevi videt Dux militum,

Foffis

Fossis struit vallata propugnacula,
Tormenta muris collocat:
Curasque fessas pellere armorum, silens
Nox non potest, Labor impedit:
Donaticum munus fugatis hostibus
Sperat triumphum, Gloriam.
WILHELME, tu inclitum te hodie ostendis Ducem,
Dum valla Jurium hostibus
Opponis, acri præliorum fulmine
Tentanda, sed nullis minis,
Frangenda: quamvis Martis immitis furor
Omnisque Doctorum Cohors
Infrendat arma, nil tamen doctam tui,
Arcem movebunt Ingeniâ.

Eidem

PRÆNOBILI AC CLARISSIMO

DOMINO

In arena Juridica gloriosè decertanti

Perge alacer generosè PUGIL WILHELME! dolendam,
Et ferè jam totò profugam (mala tempora) mundò
Quærere qui properas THEMIDEM, ceu THESEUS alter;
Perge alacer: Vires, animus, facundia Linguae
Plus Tibi sufficiunt aliis, mea gloria perge.
Ædepol invenies, mox inventamque reduces,
Si tandem fraudes, sic pulsus Livor abibunt,
Sic THEMIS arrepto mala Crimina puniet ense,
Quæ petit æqua Bilanx, sanctè dans præmia justis.

At

At tua victrici redimitus tempora sacris
DAPHNIDE transcribes PUGIL immortalibus amplum
NOMEN & EXGELSI GENERIS primordia pandes,
Nec Tibi PIRITHOI deerunt Solatia FRATRIS,
Namque per ille Vias, per & ardua doctus abire
Hærebit lateri, complens PAR NOBILE FRATRUM.

Ita

*Singularis Amicitia, Honoris & observantia ergo,
Clarissimo Pugili, per biennium Convictori suo,
animitus accinunt.*

*Illustrissimi, Perillustres, Illustres, Generosi, Reverendi, Re-
ligiosi, Prænobiles, Nobiles, Ornatissimi ac Doctissimi
Domini*

*Convictores & Alumni Electoralis Collegii Georgiani
SS. Theologiae, Jurium, Medicinae & Philosophiae Studiosi.*

JEune & Sçavant Guillaume, dont la haute sagesse
Te fera respecter de chacun dans ta grande Vieillesse!
Toi! qui seul sans Docteur, a l' exemple des Dieux,
Aprends tout par toi même, & vois tout per tes ijeux,
Et que depuis un siècle, Ingolstad n' a vû ton pareille
Qui a scû emporter les sciences, les arts en tel merveille
Cher Guillaume! si jusqu' ici par un trait de prudence
Nous avons demeuré dans un humble silence,
Ce n' est pas, que nos cœurs vainement suspendus
Balancent pour t' offrir, la louange, qui t' est dû;
Nous craignons seulement, que nôtre Muse! tremblante
Fuit d' un si grand fardeau, la charge trôp pesante
Et dans cet haut eclat, où tout Te vient offrir,
Touchant à tes Lauriers craindroit, de les flétrir.
Mais pour Te bien louer, une raison severe
Nous dit, qu' il faut sortir de la route vulgaire
Et Te souhaiter plutôt mille & mille bonheurs,
Aux sciences, aux exercissés, dont Tu est le vainqueur.
Nous Te souhaitons donc, tous les honneurs & prosperités:
Une parfaite santé, les cours de longues années:

U

Une

Une Maison commode propre & belle:
Posseder seul, sans bruit une femme fidele:
Un Jardin tapisé, d'espaliers odorans:
Des fruits: d'excellent vin: peu de train: peu d'enfans:
N'avoir ni chagrin, ni procès, ni querelle
Regler tous tes desseins, sur une juste modele,
Nous ne passons pas plûs loin, finissant nôtre ouvrage
Comme un Pilote en mer, qu'epouvante l'orage
En nous recommandant à ton cher souvenir
Et T'assurant, comme nous sommes a présent, nous serons à l'avenir.

En reconnoissance des progrès que l'illustre soutenant a fait a cette Academie dans Les exercices dont nous faisons la profession; nous lui felicitons aussi de cet act public, qui montrera sa grande capacité dans les etudes. Et nous nous disons,

*Ses très humbles & très affectionés serviteurs
Maitres des Exercisses de S. A. S. E. de Bavière &c. &c.
à la très celebre Academie d'Ingolstat.*

EGIDE PICHELMAIR
Maitre du Manège.

CHARLES CAJETAN LOUIS
GOUUILLET,
Maitre des Dances.

NICOLAS PAGNINI
Maitre des armes.

FRANCOIS LOUIS d'AUCERI,
Maitre des Langues.

PIERRE SCHNEIDER,
Maitre des piques & Ingenieur - Lieutenant pour
l'université d'Ingolstat.

PRÆNOBILI AC CLARISSIMO
DOMINO
DEFENDENTI.

A Thletas geminos uno de sanguine natos
Arbitra yolvendi juris arena stupet.
Hic Sacras leges, leges citat ille profanas,
Ex quo divisum est munus utrique suum.

Patria

Patria te Civem, Civem Respublica quærit,
 Te WILHELME foro destinat æqua Themis.
 Conscriptos inter Patres, Populique Senatam
 Publica, quam pugnas, fert tibi pugna locum.
 Confer athleta manum! nihil est, quod in hoste paveſcas,
 Robur ab ingenio, robur ab arte feres.
 Sed quid opus ſtimulô? ſtimulata cupidine laudis
 Mens flagrat; immenſum gloria calcar habet,
 Textibus oppoſiti textus, contraria legi
 Lex, decidendæ teſſera litis erit.
 Tela cavete Sophi, turpem paſſura repulſam!
 VOGELIUS pugnat, tela cavete Sophi,
 Annuet in veris, ſed falſa negandô refellet,
 In dubiis Argô plûs oculatus erit.
 Authores, Ratio, Textus, Lex, illius arma,
 Et quod præterea, Juſtiniane ſapis.
 VOGELIOS plures ſi Paderborna tuliffet,
 Poſſem Muſarum dicere Palladium.
 At, quæ magnanimo victori danda corona?
 Nautica? muralis? civica? ſubdubito.
 Pro Patriæ, legisque bono quia ſuſcipis arma
 Civica te pugilem Jure corona manet.

EX arena PaLLADIs VICToriam VoVet.

Specialis obſervantia ergo
 Prænob. JOANNES JOSEPHUS MAXIMI-
 LIANUS WOLFGANGUS PODENSTEI-
 NER. Philoſoph. & Inſt. Imperial. Stud.

PRÆNOBILI & CLARISSIMO DOMINO
 Theſium ſuarum, Authori, Præſidi & defendenti.

Nunc ſile tandem: nimioque faſtu
 Jaſtitare artes celebriſque fabri,
 Inclytum nomen Tibi vindicare,
 Dædale ceſſa.

U 2

Surgit

Surgit en nostro magè dignus ævo,
Nobili qui stirpe faber triumphat
Quique mensuram numerosque tanti,
Nominis implet
Excolit vastam ingenii officinam
Prodit hinc docti specimen laboris,
Grande. Fervet nunc opus: ars calet: Res
Venit ad ietum.
Ergo hïc alas, queis perat alta cudit,
Laureatam ardens fabricare sortem
Dædalus felicior; astra dignis
Laudibus æquat.
Ecce jam docto propius volatu
Se Diis miscet, sequor ipse ovantem
Mille votis & superis coævos
Auguror annos.

*Sic honoris specialis amicitia ergo
accinit.*

GEORGIUS IGNATIUS SCHMID. J. U. C.

DUm tandem attonitas Europæ grata per oras
Ambiguæ pacis nuntia Fama volat.
Dúmque Togata Cohors se jungit, foedere Jani
Perpetuò infestas claudere iussa foras.
Fit nova bellandi ratio, cum Pallas olivâ
Pacificos stringens, prælia docta parat.
Jamque scientificam Themidis luctator arenam
Magnanimus pugnæ Tutor, & Author adit.
Juridici intrepidus Solus qui Corporis amplam
Sustinet En! molem viribûs Ingenii.
Huc stimulat Sobolem Magni Fama Inclyta Patris,
Huc & Majorum Stemmata longa vocant.
Ergo perge bonis Avibus Pugil, Alta per Alas
Tu *Gentilitias* namque tenere potes.
Pallade splendentem Te Regia semita ducet,
Virtus, honórque Tibi quò posuère thronum.

*Ita Generoso Themidis Athletæ specialis amicitia
& studii ergò accinit, aggratulaturque.*

JOSEPHUS LAUBSCHER. J. U. C.

Quis

Quis nostra fulgor lumina verberat?
Ascendis HEROS, unctus in aream
Quales latino more fortes
In fera profilière monstra.

Rectè. Severos justitiæ placet
Agi Lacertos: non leve præparat
Jus brachium, si deprehenso
Lis venit exitiosa fonti,
Horret Machæram corpore frigidus,
Quisquis nefandi criminis artifex
Juri probatur, candidæque
Ad Themidis rapitur Tribunal.

Gaudete fontes: non feret amplius
Sententias nobis Dea ferreas;

CLEMENTE ridet sub **PATRONO**

Mitior in jugulum reorum

Ultrix. Adeste! hinc querite gratias,

Hoc temperatus **NUMINE** denotat

Fractum bibosâ ut nube fulmen

Justitiæ rigor, advolate.

Ajunt olivam Palladis ocium,

Clementiæ signum est vigor arbuti,

Cur non Minervam Te vocare,

Juridicam liceat: Perite

Luctator? istam Te probat indita

Legum Sacrarum copia, nec minùs

Clementia **PRINCEPS** avitæ

Fons, oleum reperisse monstrat.

Quare perenni munere flagito,

Vitæ labores hoc oleum Tuæ

Fulum serenet: fulgeant hæc

Digna suis meritis trophæa.

Ita

PRÆNOBILI & CLARISSIMO HEROI

Sub Clementissimo

CLEMENTISSIMI ELECTORIS Patrocinio

In arena juridica gloriosè Luctanti

Debitæ obserVantlæ ergo gratVLabVnDV's Canens appLaVDIt,

GREGORIUS JOSEPHUS LANGENWALDER, J. U. Stud.

U 3

Germa-

Germano Fratri suo
Theses Juridicas absque Præside defensuro.

QUò *Germane* vocas? que Tu nova prælia spiras!
Quæ Tibi juridico bella gerenda foro?
In Jus mène vocas? absit. *Concordia Fratrum*
Sat scio, quàm *rara* est, tam Tibi *chara* magis.
Fallor an in similes me forte laceffere pugnas,
Fert amor inque ausus sollicitare pares?
Non fallor; Tua namque premo vestigia, eandem
Mox tento pugnam, nulla pericla timens;
Qui majora Tibi vanus vix ominor augur
Præside qui nullo, prælia tanta cies,
Perge tamen, faustamque subî generosus arenam,
Pugnantem votis prosequor ipse meis.
Confido certæ veniet sic gloria palmæ,
Dum votâ & vires jungit *uterque* suas.
Vinces: GERMANI ERATRES cum *simus uterque*,
Nam GERMANORUM est vincere; arena favet.

Fraterni Amoris ergo accinuit
JOANNES FERDINANDUS IGNA-
TIUS VOGELIUS, AA. LL. & Phi-
losoph. Magister, Jurium Candidatus.

ERRA-

ERRATA CRASSIORA BENEVOLUS, LECTOR SIC CORRIGET.

- pag. 1. in Summariis lin. 13. pro. vegrit. leg. vergit.*
ead. lin. ult. pro. pnrugium. leg. perugium.
pag. 5. lin. 15. pro ante leg. nudè.
pag. 7. lin. 10. pro apponit leg. opponit.
pag. 11. lin. 10. pro justitia leg. iustitiæ.
ead. lin. ult. pro argurarer leg. augurarer.
pag. 14. lin. 32. pro cum Delbene leg. Delbene.
pag. 17. lin. 31. pro substandi leg. sustentandi.
pag. 20. lin. 7. pro cuius leg. vi cuius.
ead. lin. 8. pro si nolint leg. si nolint tradere.
pag. 21. lin. 21. pro P. Pontifice leg. S. Pontifice.
pag. 25. lin. 32. pro. hominus leg. Dominus.
pag. 30. lin. 18. pro antiqua leg. antiqua tributa.
pag. 31. lin. 18. pro Eccleisa leg. Ecclesia.
pag. 35. lin. 12. pro Wagenreck leg. Wagnereck.
pag. 37. lin. 19. pro este videns leg. est evidens.
pag. 39. lin. 2. pro surpa leg. supra.
pag. 48. lin. 31. pro Rebuffus leg. Rebuffus.
pag. 50. lin. 39. pro imponendi leg. imponendis.
pag. 51. lin. 29. pro eos leg. eas.
pag. 62. lin. 34. pro dicamur leg. dicamus.
pag. 82. lin. 7. pro fereedum leg. ferendum.
pag. 84. lin. 3. pro totum leg. in totum.
pag. 88. lin. 1. in materia; pro varia leg. varia jura.
pag. 95. lin. 18. pro ad leg. &.
pag. 108. lin. 2. pro facto leg. furto.
pag. 111. lin. 1. pro deprecetured quando. Sigitur leg. deprecetur, Sed quando igitur.
pag. 124. lin. 12. pro Ergo leg. ego.
pag. 135. lin. 21. pro contensûs leg. consensûs.
ead. lin. 28. pro Germanice leg. Germaniæ.
pag. 141. lin. 26. pro Q. 31. leg. 21.

*Leviora alia menda, quæ vel in transpositione literarum,
 accentuum, commatum punctorumve consistunt, &
 aut meâ negligentia prætervisa, aut Typographi incu-
 ria correctæ non fuerunt, Eruditus Lector, ut ipse emen-
 det, humanissime rogatur.*

ERRATA CRASSIORA FENEVOIUS
LECTOR SIC CORREGIT.

Page 1. in summo ...
Page 2. in ...
Page 3. in ...
Page 4. in ...
Page 5. in ...
Page 6. in ...
Page 7. in ...
Page 8. in ...
Page 9. in ...
Page 10. in ...
Page 11. in ...
Page 12. in ...
Page 13. in ...
Page 14. in ...
Page 15. in ...
Page 16. in ...
Page 17. in ...
Page 18. in ...
Page 19. in ...
Page 20. in ...
Page 21. in ...
Page 22. in ...
Page 23. in ...
Page 24. in ...
Page 25. in ...
Page 26. in ...
Page 27. in ...
Page 28. in ...
Page 29. in ...
Page 30. in ...
Page 31. in ...
Page 32. in ...
Page 33. in ...
Page 34. in ...
Page 35. in ...
Page 36. in ...
Page 37. in ...
Page 38. in ...
Page 39. in ...
Page 40. in ...
Page 41. in ...
Page 42. in ...
Page 43. in ...
Page 44. in ...
Page 45. in ...
Page 46. in ...
Page 47. in ...
Page 48. in ...
Page 49. in ...
Page 50. in ...

Page 51. in ...
Page 52. in ...
Page 53. in ...
Page 54. in ...
Page 55. in ...
Page 56. in ...
Page 57. in ...
Page 58. in ...
Page 59. in ...
Page 60. in ...
Page 61. in ...
Page 62. in ...
Page 63. in ...
Page 64. in ...
Page 65. in ...
Page 66. in ...
Page 67. in ...
Page 68. in ...
Page 69. in ...
Page 70. in ...
Page 71. in ...
Page 72. in ...
Page 73. in ...
Page 74. in ...
Page 75. in ...
Page 76. in ...
Page 77. in ...
Page 78. in ...
Page 79. in ...
Page 80. in ...





Decas
Select.
arum
Quest

M

Th
4779

S